846

38843/C/1

J XXIX

18/n

53(95)

FRIDERICI WINTERI
ORATIO
INAUGURALIS
DE
CERTITUDINE
IN
MEDICINA PRACTICA

DICTA PUBLICE

IN TEMPLO ACADEMICO

A. D. XXVI. APRILIS CIϽ IϽ CCXLVI.

QUUM ORDINARIAM MEDICINÆ ET CHEMIÆ PROFESSIONEM IN ILLUSTRI FRISIORUM, QUÆ FRANEQUERÆ EST, ACADEMIA SOLEMNITER AUSPICARETUR.



FRANEQUERAE,
Excudit GULIELMUS COULON, Illustr. Frisiæ Ordd. atque Eorundem Academiæ Typograph. Ordin. CIϽ IϽ CC XLVI.

SERENISSIMO AC CELSISSIMO

P R I N C I P I

GULIELMO CAROLO HENRICO FRISONI

DEI GRATIA ARAUSIONENSI
ET NASSAVIO PRINCIPI

COMITI CATTIMELIBOCORUM, VIANDÆ,
DECIÆ, SPIEGELBERGÆ, BURÆ,
LEERDAMI. ETC. ETC. ETC.

GELRIÆ, FRISIÆ, GRONINGÆ AGRO-
RUMQUE CIRCUMJACENTIUM, NEC
NON DRENTIÆ GUBERNA-
TORI ARMORUMQUE
SUPREMO PRÆ-
FECTO.

ALMÆ FRISIORUM ACADEMIÆ
CURATORI MAGNIFICENTISSIMO.

UT ET

PERILLUSTRIBUS ATQUE AMPLISSIMIS

PRÆPOTENTIUM

FRISIÆ ORDINUM

DELEGATIS NOVEMVIRIS

ET

QUI ILLIS AB ACTIS EST
VIRO GRAVISSIMO.

NEC NON

MAGNIFICIS ET GENEROSIS

FRISIÆ ACADEMIÆ

CURANDÆ

QUATUORVIRIS

STRENUIS ARTIUM LITTERARUMQUE
STATORIBUS.

ORATIONEM

HANC

INAUGURALEM

DICAT SACRATQUE

FRIDERICUS WINTER.



FRIDERICI WINTERI

ORATIO INAUGURALIS DE CERTITUDINE IN MEDICINA PRACTICA.

SERENISSIME AC CELSISSIME PRINCEPS, ALMÆ HUJUS ACADEMIÆ CURATOR MAGNIFICENTISSIME, BONARUM ARTIUM MÆCENAS OPTIME.

PERILLUSTRES AC GENEROSISSIMI ACADEMIÆ CURANDÆ QUATUOR VIRI, EGREGII MUSARUM PATRONI.

MAGNIFICE RECTOR.

QUARUMCUMQUE ARTIUM ET SCIENTIARUM PROFESSORES CELEBERRIMI, COLLEGÆ HONORATISSIMI.

QUICUNQUE VEL NATALIUM SPLENDORE, VEL MUNERUM AMPLITUDINE, IN REPUBLICA EMINETIS, VIRI GRAVISSIMI, NOBILISSIMI.

ORACULORUM DIVINORUM INTERPRETES FIDELISSIMI, PRÆCONES FACUNDISSIMI.

PRÆLECTOR ERUDITISSIME.

DISCIPLINARUM OMNIUM DOCTORES PERITISSIMI AC CONSULTISSIMI.

QUOTQUOT PRAETEREA ESTIS; CUJUSCUNQUE DIGNITATIS, ORDINIS, LOCI, AUDITORES GRATISSIMI, HONORATISSIMI.

TUQUE MULTIPLEX ACADEMIÆ CIVIS, QUEM MULTIJUGA DOCTRINA ET DELECTAT ET JUVAT.



T premuntur ſuis calamitatibus Scientiæ & Artes, quotquot ſunt, ſingulæ, ſic premitur & ſuis, Ars quæ vocatur *Medica*, valetudini Hominum proſperæ conſervandæ, & ſanitati deperditæ reſtaurandæ, dicata, ſoſpitatrix & vere nobilis. Laudatur hæc ab omnibus, qui languentes Medicorum ope indiguerunt unquam, contemni-

nitur & habetur despicata ab illis, quos voluit Natura satis benigna, raro licet exemplo, ægrotare cum vitæ periculo non ante seram senectutem. Argumenta interim hi proferant, quæcunque velint, loquuntur eorum imbecillitatem ipsi quippe qui remediorum farragine ac formulis, ut dicunt usu probatis, instructi nunquam non, commendare eadem ægris non dubitant, salutemque certam ex iis sperare jubent. Etenim quid aliud hoc est, quam agere Medicum Medicinæ præceptis, cautelis non imbutum, verum Medicastrum? Artem ergo ipsam non vituperant, sed artificem, qui, ut eam cum laude exerceat, illi totus sese mancipat. Quale monstrum opinionis? An vero in medica Praxi minus valet verum illud in omni alia re proverbium, artifici quod sit præ aliis in sua arte credendum? Certe statui sic vi-

detur ſaltem, pedes ſuos quum calceandos nemini niſi ſutori præbeat ſanus ullus, Capitis ſui curam committant imperito cuilibet omnes. Quanta ſtoliditas, quanta vecordia! Sed ferri hæc poſſent adhuc A. O. O. H. niſi accederet, quod ut fieri ſolet, æſtimaretur Medici opera ex morborum eventu. Fieri id poſſe haud raro, non inficior quidem, ſed vellem id faceret ſolus intelligens, non omnis anus. Heu! quanta non inde enaſcuntur bonæ arti damna! Medicis in praxi tædia! Cum aſſentire cogantur opinionibus plerisque vulgi, negligere, quæ ipſi non arrident, ſanandi regulas, metu, ne ſperato deſtituti ſucceſſu, famam perdant fiduciamque ægrorum. Venæſectio in morbo Variolarum damnoſa creditur vulgo, nolunt fomenta, improbant balnea plerique; accedit ad ægrum quendam Medicus, medelam

utramque necessariam judicat, obstat ægrotus, obstant adstantes; ut facilis habeatur, præscribit alia, sperans fore ut sine multo remediorum apparatu sanetur qui gravis non apparet morbus; interim hic ingravescit, præterlapsum est tempus adhibendi ea, quæ salutaria fuissent in principio, obrepit mors, habet Medicus quæ sibi exprobret; fateri id tamen non audet, quod vitio ipsi verteretur facilitas nimia, adeo laudata prius. Vocatur interea ad ægrotum alium morbo correptum eodem, vult cautius mercari, suadet remedia quæ neglexerat in priori, obstantes invenit quoque amicos, instat autem, & obtinet licentiam adhibendi ea, quæ credit proficua; moritur nihilominus Ægrotans, quod superet artem malum; hinc nova criminatio, & creditur curationem perperam institutam reddidisse morbum

lethalem. Tale & tantum eſt artis noſtræ ſalutaris incommodum A. O. O. H. Cui mederi quidem liceret per Medicos ipſos, modo eſſet iis omnibus pietas æque magna, doctrina eadem, invidia nulla; ſed proh dolor! erubeſco dum cogor fateri, Figulus Figulum odit. Quæ ſequitur Medicinæ calamitas major adhuc eſt. Obtigit miſellæ plebi ſtructura corporis eadem quæ Proceribus, per ſtructuram eandem morbi poſſibiles ſunt penitus iidem, quibus cura convenit ſimilis. In medentibus ergo mediocritas non tolerabilis, ut in artificibus aliis omnibus: Pagos vicosque incolunt, qui in arte ſua non excellunt opifices, & utilitate vix cedunt peritiſſimis: prodeſſe & ſocietati poſſunt, docti licet mediocriter tantum Theologi, Jurisconſulti, Philoſophi, prodeſt non niſi caſu, obeſt fere nunquam non, quis-

quisquis temerario ausu Medicum se profitetur, regularum artis cognitione solida destitutus, sicque revera artem exercet, qua intempestivis remediis artificiose trucidat. Utinam superesset nihil aliud de quo jure conquerantur boni Medici! Sed en cumulum doloris! artibus conjecturalibus accenseri solet Scientia Medica, nulliusque certitudinis habetur capax. Injuriam hanc dolui, & certitudinem Medicinæ Theoreticæ adserui jam ante sexennium circiter in Academia Herbornensi, occasione mihi clementissime oblatæ a SERENISSIMO ARAUSIONENSIUM & NASSAVIORUM PRINCIPE &c. &c. &c. Cathedræ. *Certitudinem eandem Medicinæ practicæ* adstruendi ansam mihi nunc benignissime suppeditant ILLUSTRES ac PRÆPOTENTES FRISIÆ ORDINES.

Vocatus quippe in locum defuncti Celeberrimi *Muyſii*, quum Profeſſionem Medicinæ atque Chemiæ publicam ac ordinariam, in hac Academia honorificentiſſime mihi demandatam, more Majorum, pro Concione hac nobiliſſima habenda hodie Oratione auſpicaturus ſim, argumentum adpoſitum magis inveniri vix poſſe credidi, quam quod muneri accommodatum, dignitatem ejusdem tueretur, loqueretur palam utilitatem.

Agedum itaque A. H. favete dicenti, & æquis adeſte animis. Haud diſertus pompoſo verborum apparatu aures veſtras non demulcebo quidem, aberuntque procul verborum lenocinia; ſed quum nec hæc poſtulet materiæ dignitas, nuda, ut ſpero, placebit veritas.

Corpus humanum organum eſſe,

ad

ad certas operationes vi ſuæ ſtructuræ aptum, nemo eſt qui dubitat.

Actiones proin, quæ in corpore noſtro bene conſtituto obtinent, explicari duntaxat poſſe ex ſtructura bene intellecta, res pariter clara eſt.

Clarum eſt quoque, quod ſi ſemel bene intellectum fuerit, quomodo actiones per fabricam poſſibiles ſint, ex defectu actionis alicujus, vel ex læſa eadem, facile perſpiciatur, quænam pars organi vitio laboret, ſeu quod idem eſt, ſtatus naturalis illuſtret præternaturalem.

Quando proin quæritur an detur in Medicina Certitudo? quæſtio duntaxat hæc eſſe videtur, num poſſibilis ſit perfecta cognitio fabricæ corporis humani, & uſuum quos partes quæcunque præbent?

Videtur inquam Auditores, quæſtio hæcce liti dirimendæ perfecte ac-

commodata, nec desiderari amplius, quam ut vel affirmando, vel negando ad eam respondeatur.

Antequam vero eo deveniamus, liceat prius, quæ in ea continentur, paulo clarius exponere.

Corpus nostrum si attento animo consideremus, illud a summo Conditore ad fines quam plurimos, eosque valde diversos, destinatum esse deprehendimus. Hi fines omnes ut obtinerentur, requirebatur, ut a machinis artificialibus simplicioribus differret, & Organum existeret, ex organis aliis quam plurimis, usu & connexione finibus totius inservientibus, compositum. Ut enim Homo generi suo conservando ac propagando destinatus est, sic Organa generationis scopo huic impetrando apta reperiuntur; Vitam ipsam quemadmodum per certum tempus conservari necesse erat,

rat, vivendo autem conſumeretur ipſum corpus, ſic Ventriculus & Inteſtina organica ſua ſtructura ciborum digeſtioni primæ proſpiciunt, proſpiciunt & huic digeſtioni, peculiari fabrica & uſu, Lien, Pancreas, Hepar, & quæ ſunt plura organa eidem ſcopo fere unice deſtinata; Cogitata ſua cum aliis communicare debet homo, huic uſui Loquela inſervit; per ſenſus rerum perceptarum notiones comparantur, per ſenſus quoque de periculo inſtanti admonemur, pro his ergo peculiaria quoque Organa requirebantur; Taceo organa bene multa alia, quibus non ſine damno careret homo; Taceo etiam organorum multorum ex organicis partibus aliis compoſitionem, quam contemplatio unius tantum viſceris clare ſatis docet, Hepatis nimirum, compoſiti certe ex glandulosis corpuſculis innumeris, totidem

parvis machinis, præparantibus & ſecernentibus bilem, effundentibus eam dein per ductus ſuos excretorios proprios, in ductum excretorium majorem communem omnibus. Et quid? ſi præter hæc, diverſo adhuc reſpectu, organum quodcunque tanquam partem noſtri corporis conſideremus; miramur artificioſiſſimam machinam, in qua Oculus v. gr. non ſolum tanquam organum viſus ſeſe offert, ſed & partem conſtituit machinæ illius hydraulicæ mirabilis per totum corporis Syſtema diſtributæ, qua præparantur, diſtribuuntur humores, futuros in uſus adſervantur. Simile quid de partibus reliquis ſingulis prædicari, imo ſpectari eas præterea poſſe tanquam tales, quæ, ut pertinent ad corpus vivum, ita & propriæ vitæ conſervandæ aptæ ſunt; nemo eſt qui non videat.

Hinc

Hinc ergo concludo Auditores, ad cognitionem fabricæ noſtri corporis perfectam, requiri non ſolum cognitionem generalem partium majorum, quoad formam, ſitum, connexionemque earundem; ſufficere quoque haudquaquam noſſe quales ſint uſus evidentes, quos tanquam organa ſpecialia corpori præſtant; aſt neceſſaria quod ſit notitia compagis intimæ, quæ in minimis obtinet. Continentur enim in his, quæ præ reliquis ſunt maxime mirabilia, ſed & ſimul omnium cognitu difficillima; in minimis fit præparatio humorum noſtrorum, qui elaborantur in his, & naturam liquidorum animalium adipiſcuntur; in minimis fit quoque ſecretio humorum inutilium, atque extra corpus eliminandorum; in minimis & ſecernuntur liquores utiles. Bilis dum continetur in ductu cholidocho, in Hepate quidem

ſecreta eſt, ſed in vaſculis ejus minimis. Semen in ſubſtantia Teſticulorum tenerrima ex vaſculis minimis conſtructa præparatur, ſecernitur; præparatum & ſecretum jam eſt, verbo, ſeminis proprietatibus jam gaudet, quod in Epididymides eructatur, per vaſa deferentia ad Veſiculas vehitur, ibidem adſervatur.

Et quomodo notitia hæc minimarum partium comparata adhuc eſſe debet? exactiſſima ſit oportet, Auditores. Ex ſtructura harum partium & veritatum mechanicarum, hydraulicarum, hydroſtaticarum ad eam adplicatione, intelliguntur functiones & uſus, qui ex partibus his in corpus redundant. In his vero ne errores committantur, figura, magnitudo, connexio, vaſorum contorſiones, curvaturæ, anguli, liquidorum contentorum & motorum celeritates ac vires,

tu-

tunicarum reſiſtentiæ & reactiones accuratiſſime deſcribendæ ſunt. Ponamus enim aſſumi horum quædam minus convenientia cum iis, quæ in partibus revera exiſtunt, quæ Mathematicus adplicando regulas motus exinde deducet, vera tantum erunt in machina imaginaria, in qua nimirum aſſumta tali modo ſe habent, non exiſtent in corpore noſtro.

Neque vel ex his omnibus recte licet determinatis, ut aſſumtis, ſed ſolis, laudabilis quid diſceretur, niſi ſimul ad humorum proprietates reſpiciatur. Etenim in ſcientia hydraulica, proprietates ſpecificæ fluidorum non conſiderantur, ſed ſufficit dotes fluidorum communes corpus aliquod poſſidere, ut prædicari de eo poſſint omnia, quæ in Hydraulica de ejus motu per canales determinatæ magnitudinis, figuræ & firmitatis docentur; ſed qua-

lia hæc? præter mutationes quæ fluido tali in celeritate ac directione accidunt, id eſt, præter mutationes motus nihil continent; verum, ad quod attendere oportet, humores animales per ipſum motum in ſua natura immutantur, idonei redduntur ad functiones præſtandas corpori, quibus eos deſtinavit natura, per motum quoque perverſam & corpori noxiam indolem contrahunt, variantque mutationes hæ, prout variant motus quos ſubeunt, & actiones vaſorum quibus continentur. Conſtituunt præterea humores noſtri non fluidum perfecte homogeneum, idem in omni vaſorum genere, ſed conſiderari debent tanquam mixti, quorum partes variæ varia in proportione mixtæ inter ſe invicem, ſegregantur, continentur in canalibus variis, & ibidem pro mixtura ſua diverſa, & diverſitate eorum

quæ

quæ patiuntur, diverſas quoque ſubeunt mutationes, diverſis donantur dotibus.

Neceſſe proin eſt, ut cognoſcantur humorum noſtrorum Qualitates phyſicæ, quæ tales ſunt ut ex principiis mechanicis intelligi renuant, & detegantur optime per inſtituta experimenta. Ad qualitates has pertinent proprietates Sanguinis illæ, quod in quiete extra motum poſitus in maſſam compactam concreſcat, reſolvatur iterum in tepore, ſed & ſimul naturam ſui mixti perdat; quod pronus ſit ad degenerandum in naturam alcalinam; adſervatus in loco tepido putreſcat; deſtillatus ſalem & ſpiritum volatilem, oleum acre foetidumque præbeat; quod denique motu circulari in vaſis aucto ad concretionem magis disponatur, proclivior reddatur ad alcaleſcendum putreſcendumque; motu illo circula-

ri imminuto de proprietatibus ſuis ſenſim perdat, plus de natura aſſumtorum retineat. Ad qualitates dictas referendum quoque coagulum Seri, poſiti in calore ebullientis aquæ, inſtar albuminis ovi concreſcentis; qualitas hæc nempe eſt, qua deſtituuntur liquores tenuiores & ſubtiliores. Taceo qualitates tot alias, quas pariter edoctus ſit oportet, qui functionibus partium ex ſtructura ipſa explicandis operam dare ſecum conſtituit; his enim deſtitutus, mirum quantum erraret venditando pro veris, quæ iterum nonniſi imaginationis foetus forent.

En quanta & qualia ſint, quæ requiruntur ad cognitionem corporis perfectam adquirendam. Et perpendite quæſo, quam infinitus ſit numerus effectuum, quos ex tanta varietate cauſarum eruere datur; effectus vero illi ſinguli conſtituunt totidem functio-

ctiones; hæ vero omnes ſimul ſumtæ, non læſæ, perfectam ſanitatem, una vel altera evidenter depravata aut deficiens, morbum facit.

Intellexiſtis ergo, quidnam in quæſtione propoſita contineatur, & vultis nunc ut reſpondeam; ingenuus ſum, & fateor lubenter, cognitionem talem perfectam qualem deſcripſi, & fabricæ & uſuum, penitus impoſſibilem eſſe, ſaltem hucusque a nemine poſſideri. Juvat imo impoſſibilitatem exemplo ita illuſtrare, ut nemo contradicere queat. Vivere poſſe hominem, nutriri, creſcere, vigere, veſcendo ſolis vegetabilibus notiſſima res eſt, evincunt hoc hiſtoriæ infantum in loco deſerto derelictorum, & inter beſtias educatorum. Veſcatur igitur homo iisdem plane alimentis cum bove, cerealibus v. gr. & herbis ac radicibus eſculentis; potus

communis ſit aqua; vivent ambo, ſed quid præterea fiet? faciet inde bos carnem bubulam, pinguedinem bubulam, crines bubulos, materiem pro cornubus, pro ungulis; faciet homo carnem humanam, pinguedinem humanam, capillos humanos, ungues humanos. Et, quoniam eadem eſt comparatio, fac ovem eodem nutriri cibo cum vipera, generabitur inde in ove caro ovilla, præparabunturque humores non niſi innoxii; conficiet vipera carnem viperinam alimenti blandiſſimi feracem, colligetque præterea in folliculo ſuo circa radicem dentium venenum atrox, robuſtiſſimum animal vel acicula tantum veneno hoc infecta læſum certo occidens. Imo conſideremus duntaxat lac ovillum & vaccinum, differt certe unum ab altero, fuit tamen paucas ante horas materies eadem in herba comeſta. Non-

Nonne hi ſunt mirandi effectus Naturæ Auditores? fateor, latet tamen Phænomeni hujus ratio in ſtructura corporis animalis diverſa, & ſi paulo exactius inquiramus, deprehendimus quod contineatur duntaxat in figura, magnitudine, connexione, decurſu vaſorum diverſis, verbo, in mechaniſmo diverſo, non partium majorum, ſed minorum. An autem unquam intelligibili modo phænomenon exinde explicari a quopiam poſſe, autumatis? credo hoc nemo facile dixerit.

Dicam quod res eſt; obtinet in ſtructura animali ſimilitudo inſignis, producit hæc ſimiles effectus, non penitus eosdem; ſimilitudinem hanc perſpectam habemus, latet nos differentia quæ eſt in minimis, in qua ratio continetur diverſitatis actionum, & inde pendentium diverſorum effectuum. Ut paucis rem comprehen-

dam, oeconomiam animalem novimus, ignoramus humanam, & eam, quæ eſt animalium ſingulorum, quatenus ſub certa aliqua ſpecie continentur, ſi ut volo, partium non majorum, ſed minimarum functiones ſpectemus.

Et ut clarius adhuc conſtet quod res ita revera ſe habeat, attendamus modo ad Hepar, viſcus illud utiliſſimum, in quo examinando recentiores adeo multam collocarunt operam, multa quoque non contemnenda detexerunt. Docet Anatome duplicem in hoc viſcere conſiderari poſſe mechaniſmum, unum quatenus organum exiſtit immediatum, quo bilis utraque, hepatica ſcilicet & cyſtica, certis dotibus prædita, certos in uſus, certo tempore certoque loco, certa copia cibis admiſcetur, poſtquam ventriculo egreſſi, mutationes certas ibidem

dem jam paſſi, incipiunt largiri chylum, ulterius elaborandum & perficiendum. Mechaniſmus hic valde clarus eſt, & ex ſitu Hepatis, connexione ejus cum Diaphragmate, vicinitate Ventriculi, ſitu Veſiculæ felleæ, concurſu Pori cholidochi cum Ductu cyſtico, decurſu ductus excretorii communis, ejusque inſertione ſingulari in Inteſtinum Duodenum, ex qualitatibus denique bilis phyſicis cognitis, intelligitur evidenter quomodo effectus recenſiti omnes inſequi debeant. Sed reſtat mechaniſmus alter, cujus opera bilis ſecretio ipſa a ſanguine in Hepate abſolvitur; materiem huic operi per ſanguinem fluidum & valde ſolutum, vix concreſcentem, a viſceribus abdominis, Ventriculo, Pancreate, Liene, Omento, Meſenterio, Inteſtinis reducem, lympha, ſpiritibus, oleo ſubtili prægnantem, ſuppeditari

novimus; per experimenta anatomica certa compertum quoque habemus, organum ſecretioni proprie dicatum conſtituere granula illa in Hepate diſciſſo conſpicua, quæ acini vocantur a quibusdam; acinos hos nil eſſe niſi fines ultimos venæ Portarum, Arteriæ ac Venæ hepaticæ, origines Pori hepatici, abeuntes omnes in ramulos minutiſſimos convergentes, in penicillorum formam diſpoſitos, novimus pariter; novimus inſuper Sanguinem per venam Portarum Hepati adductum, lentiſſimo motu trajici; aſt explicet quis ex datis hiſce omnibus, queis adhuc alia bene multa addere licebit, quomodo ex materia allata in acinis illis vel glandulis exacte Bilis nec alius generetur liquor, ſi poterit magnus certe mihi erit Apollo. Mehercle! deficiunt determinationes ſat accuratæ, decurſus, directionis, com-

communicationis, inflexionis, figuræ ac firmitatis vaſculorum illorum minimorum; deficit &, quod inter præcipua eſt, notitia ſufficiens qualitatum materiæ, & quomodo hæc ſe habeat ad actiones vaſorum in quibus præparari debet in Bilem, & præparata hæcce ſecerni. Cognita igitur nobis eſt materies mutanda, ſecernenda; cognitum eſt inſtrumentum præparans, mutans, ſecernens, ſed quomodo in hocce tanquam cauſa ratio effectus contineatur, non ſatis liquet.

Eadem perfecte eſt ratio viſcerum reliquorum, & corporum glanduloſorum, ſic ut ſciamus in genere, quænam ingrediantur organorum ſecretoriorum ſtructuram; cognita etiam habeamus de ſingulis ſingularia multa & utilia, non ſufficientia tamen ad intelligendum, cur Saliva in Parotide, in

Teſtibus Genitura, in aliis alia gignantur & ſecernantur.

Sane, quotquot fuere omnes qui hæc & ſimilia explicare conati ſunt, laudabilis dedere nihil. Etenim ex ingenio hic quid fingere velle, abſurdum; ex fabrica autem omnia adeo exacte determinata, & ſimul vera adſumere, ut prætermittatur nihil, impoſſibile prorſus eſſe in minoribus, loquitur vel difficultas quæ obtinet in majoribus, exemplo ſit Mathematicorum in adſignandis viribus Cordis diſſenſus, non ex errore calculi enatus, ſed ex aſſumtis diverſis, a ſingulis pro veris admiſſis. Dotes demum ſpeciales humorum noſtrorum omnes, quis enumerabit unquam? Profecto! hæ adeo multiplices ſunt, ut vix credibile, præſertim ſi iis accenſeantur, quod tamen merito fit, qualitates quibus habiles redduntur ad recipiendam

dam depravatam indolem, ubi vel ſibi aliquomodo relicti, ac motu non ſatis agitati, ſponte corrumpuntur, vel & per cauſas externas, aut denique motum ſolidorum perverſum, mutatur in pravam benigna earum naturalis conſtitutio. Sunt præterea depravationibus ſingularibus obnoxiæ ſingulæ humorum tenuiorum lymphaticorum ſpecies.

Adſtruxi igitur & exemplis, qualia, quam multa, & quam difficilia cognitu ſint ea, quibus indigemus ad cognitionem ſtructuræ corporis humani, partiumque uſuum penitiſſimam adipiſcendam & abſolutiſſimam. Carebimus illis, ut opinor, ſemper; abſtruſis enim iis examinandis, detegendis, ingenium ſufficere ſubtiliſſimum, attentionem ſummam, operam indefeſſam, vix mihi perſuadere poſſum. Tempus revelaturum eſſe multa, certus credo.

 In-

Interim largiar adhuc non concesſa, & ponam dari Medicum, cui fabrica noſtri corporis perſpectiſſima ſit, quique partium ſingularum functiones ad unam omnes calleat; an crederetis, poſſe talem, ex læſa functione quacunque, de læſionis hujus cauſa proxima judicium ferre ſemper absque erroris diſcrimine? Me quod attinet valde dubito; ut enim multis, imo quam plurimis in caſibus fieri id poſſe ac debere certum eſt, ita non raro quoque tales ipſi occurſuros eſſe, quibus extricandis vel perſpicaciſſimum ingenium impar foret, perſuaſiſſimus ſum. Bene quippe diſtinguendum eſſe cenſeo, num quis partem læſam duntaxat, an cauſam efficientem proximam indicaverit; quot enim non ſunt cauſæ effectum producentes penitus eundem? circumſtantiis nimirum, quæ diverſitatem indicare poſſent, ſenſus noſtros ef-

effugientibus. Præditus eſt ventriculus vi ſuæ ſtructuræ facultate retinendi asſumta; vomitu perpetuo laborat ægrotus, rejicit omnia, quænam hujus cauſa? an in ſtructura quid deficit, an vitium eſt in Viſceribus, an Schirrus adeſt, an Saburra corrupta ex ingeſtis nata, an materies acris podagrica, ſcabioſa, eryſipelatoſa aliunde delata, in tunicas Ventriculi depoſita? En caſum alium. Suppeditat Hepar bilem juſto tempore, juſta in copia, ſed qualem? vappidam, aquoſam, non amaram; eſt ergo vitium vel in materie unde præparatur, vel in organis ipſis, ſed quale? Icterus multas agnoſcit cauſas, Calculos felleos, Obſtructiones, Schirros, Spaſmos ex cauſis iterum diverſiſſimis naſcendos, quænam quæſo in dato caſu obtinet? Sane, ex actionibus læſis ſolis ſe invicem comitantibus, cauſas ejusmodi

dignoſcere prorſus impoſſibile eſſe, mecum confitebitur, quisquis perpendere voluerit, exiſtere effectus quam plurimos, actionesque læſas partium minimarum bene multas, in ſenſus tamen non incurrentes.

Accedit huic argumento alterum, quod, ſiquidem cauſæ morborum proximæ cauſas remotas alias agnoſcant, illæ ex his ſæpenumero feliciter detegantur quidem, ut vero cauſa remota agendi quandam potentiam, & partis cujus functio læditur, ad patiendum diſpoſitionem neceſſario ſupponit, utraque autem ex qualitatibus intelligitur, ita etiam has Medico perſpectas eſſe debere, evidenter liquet: ſed eheu! millenæ ſunt corpori noſtro infeſta, qualitates omnium noſſe quis poterit? Et ſi quis noſſet, quid inde? Sciret tantum quasnam mutationes inducere queant partibus, quatenus

nus eædem ſunt in hominibus omnibus; Arſenicum nemo impune ſumit; mortalium unumquemque occidit Viperæ venenum; ſed alia rurſus quam diverſe ſe habent! Plethoram vidi ſolum vomitum matutinum excitaſſe, facit eadem in aliis Hæmoptoen, Hæmorrhoides, Mictum cruentum, Vertigines, Aſthma, & cur? differt Temperies, Sexus, Ætas, Idioſyncraſia, differunt diſpoſitiones connatæ, adſunt in uno mutationes debilitatesque ex morbis prægreſſis relictæ, deſunt in alio; verbo, differt homo ab homine.

Sed quo tendit ſermo, dicetis forſan A. H. deſtruit potius Medicinæ certitudinem, qui adſtruere eandem promiſerat? an ergo utilitas cognitionis fabricæ, & quæ eidem addiſcendæ inſervit Anatomiæ nulla? certiſſimus adſevero, contemni, parvi-

pendi, negligi eam nonnisi ab ignaris, laudari, in pretio summo haberi a peritis. Ecquid enim ex dictis fluere creditis Auditores? Mehercle nihil aliud quam quod turpiter fallantur ii, qui ex structura corporis bene cognita, functionibus rite perspectis, cognosci atque dignosci posse morbos universim omnes, & Medicinam eam ob rationem certam dari autumant. Verum an ideo de adquirenda certitudine tantopere amata desperandum? Minime, praxin a nobis exerceri posse certam constanter adfirmare pergo, simul vero quæstionem antea propositam speciosam magis esse, quam quod liti dirimendæ vel affirmata vel negata sufficiat, adsero: modo patiamini A. H. ut antequam ulteriori probationi me accingam in antecessum quid moneam, quod semel notasse forte non inutile erit.

Pro-

Prolixus fui in antecedentibus ut monſtrarem, partibus minimis corporis humani ſingulis ſuas conſtare functiones, has maximæ utilitatis eſſe, has denique læſas, totidem videri conſtituere morbos; hi igitur quum difficillimæ cognitionis forent, utpote nullis ſæpenumero ſignis ſe prodentes, argumentum exinde contra Medicinam certam non leve deſumi poſſe credidi. Scrupulus ille vobis ut eximatur examinare velitis rogo, qualesnam in genere ſint ægrotantium ſtatus, quibus mutandis emendandisque Medicus accerſeri ſolet; attenti ſi fueritis, invenietis, nunquam non lædi functionum unam vel alteram, aut plures earum quibus immediate obtinentur fines ultimi, quos per fabricam corporis conſequi intenderat ſummus Opifex; locum mutare ſi non poterit homo, vitium erit in inſtrumentis huic

actioni immediate destinatis; corporis nutritio si rite non succedit, læsa erit pars una vel altera, digestioni ciborum dicata, aut male constitutæ erunt viæ, quibus Chylus ad Sanguinem defertur, aut demum ex chylo generandi Cruoris confectio non bene respondebit; eadem perfecte ratio erit, in functionibus reliquis omnibus, si quid læsum deprehendatur. Equidem non inficior Auditores, læsionum quarumcunque causas dari subordinatas, vel terminatas sæpe in partium minimarum vitiis, ad has quoque attendere sæpenumero debere Medicum non nego; ast oportet tunc, ut sint per signa manifestæ. Verum enim vero quot non mutationes læsionesque partibus corpus nostrum constituentibus minimis accidere possunt, salva tamen sanitate, aut potius, salvis functionibus omnibus illis, quas illæsas na-

natura omnino voluit, ut obtinerentur fines ultimi! Profecto majores sæpe partes, eæque nobilissimæ læduntur, inutilesque prorsus redduntur ad functiones suas peragendas, sine sanitatis detrimento; jactura Lienis & Pancreatis absque incommodo evidenti toleratur, uti constitit in animalibus; resecta Carotide arteria in uno latere, per alteram plus sanguinis ad Cerebrum fertur, & resarcitur damnum, docuerunt hoc vulnera in hominibus; quidni simile quid in partibus minoribus obtinere posse crederemus? Accedit quod, causæ pleræque ut lædant, sufficiant non solæ qualitates nocivæ, sed & requiratur sæpe causarum quantitas aliqua, revera ut sonticos inducant effectus; pro exemplo inservire poterunt obstructiones; has qualitate peccare semper, nemo est qui non confiteatur, sed obstrui po-

namus acinos modo quosdam in Hepate; an inde male ſe habebit corpus? an Cachexia laborabit vel Ictero? minime, hæc ut ſequantur, obſtructionis certa quædam magnitudo præſens ſit oportet, Hepar nimirum vel totum, vel magna ſaltem ex parte occupans; reperitur hinc & viſcus hoc, quoad colorem, magnitudinem, habitum externum reliquum mire ſæpenumero mutatum in cadaveribus, absque ullo unquam exinde obſervato ſanitatis diſpendio.

Meminiſſe quin etiam hoc loco juvabit, plurimas ejusmodi morboſas cauſas, modo non ſint nimis magnæ, aut admodum graves, a natura ipſa ſubigi & ſanari ſponte. Sanguis in Tunicam celluloſam effuſus, non tanta copia ut putredinem acquirat, ſine ullis adhibitis remediis, reſolvitur ſponte in globulos minores, tenuior fit, reſorbetur

betur ſenſim per Venas bibulas intra vaſa, remiſcetur circulanti cruori; humores in vaſcula aliena errore loci propulſos, non ea quantitate, ut Inflammationem producant, quomodo tranſire faciat & in viam reducat Natura ſponte, docent obſervationes *Leeuwenhoeckianæ*.

Cæterum verum quidem eſt, quod & antea adfirmare non dubitavi, præparari, elaborari, ſecerni humores noſtros imprimis in organis minoribus & in vaſis minimis, ex harum proïn actionibus perverſis læſisque, fluidis etiam communicari neceſſario qualitates depravatas. Aſt abſit modo topicum aliquod malum, morbum jam alium per ſe faciens, Schirrus, Abſceſſus, Tumor cujuscunque naturæ; rariſſime, ſi unquam, mutabuntur vaſculorum figuræ, connexiones, flexiones variæ ſive arcuatæ, ſive in majo-

res minoresve angulos divergentes, verbo, in conditionibus ad actiones rite peragendas requisitis, mutari posse fere nullam constat, præter elasticitatem atque contractionem, sive ut plures loqui amant, vasculorum oscillationem; hæc nimirum intensior, languidior, irregularis reddi, per Spasmos turbari poterit mille modis; pendet itaque hinc imprimis omnis illa, quatenus ab actionibus partium minimarum oritur, liquidorum nostrorum diversitas. Liquores illi, qui Bilis, Saliva, Semen nuncupantur, Bilis erunt, Saliva & Semen semper in unoquoque homine, in quocunque ejus statu, perfectione tantummodo diversis temporibus different; oritur similitudo ex conditionibus in vasis præparantibus, secernentibus, manentibus iisdem, nascitur differentia, nisi sit ex materie, quæ liquoribus his conficiendis inservie-

vierat, ut opinor, ſola ex oſcillatione diverſa; hæc vero ut raro mali multum efficit, ſi in una vel alia parte tantum irregularis exiſtit, ita, quando corpus totum vel partem ejus inſignem occupat, facile cognoſcitur, remediisque aptis curatur.

En A. H. morborum notionem magis exactam, eorum numerum multum imminutum; poſt habitis quippe vitiis partium levioribus omnibus iis, quæ nec ſignis ſe manifeſtant, nec moleſtias creant ſenſibiles, &, per naturam benignam dum ſanantur, Medici ope non indigent; morbi nomine compellandæ reſtant duntaxat, læſiones partium eæ inſigniores, quarum noxæ evidentes, quæ Medici auxilium deſiderant, ſponte non ſanabiles, vel quibus ſanandis natura ipſa ubi incumbit, ſaltem motus ejus & molimina, ne a ſcopo aberret, di-

rigere prudens Medicus debet. Tales vero ut plurimum inhærere partibus fluidis, organicisque ſolidis illis, quarum uſus proxime, non valde remote, influit in fines toti corpori præſcriptos, unicuique attendenti, ut jam dixi, quotidie conſtare poterit.

Intellectis hiſce, ordo jubet, ut media ad certitudinem in praxi noſtræ artis obtinendam accommodata, oſtendam, & quomodo rectus eorum uſus ſit adornandus, clare explicem, quibus dum aliquamdiu immoror A. H. ut benevolentia veſtra me porro dignari velitis, enixe rogo atque obſecro.

Ratione & experientia veritates deteguntur, confirmantur, certitudoque obtinetur in omni ſcientia, nec datur medium aliud tertium. Conſentiunt rerum periti omnes. Differunt duntaxat principia ratiocinandi,

&

& experimentorum genera, habet ſua Philoſophus, ſua Aſtronomus, Mathematicus, Phyſicus, habet & peculiaria ſua Medicus. Hæc quænam ſint in Theoria docui olim, quomodo ſe habeant in Praxi, ea qua licet brevitate, nunc oſtendere conabor.

Videamus primum quid valeat Ratiocinium; per quod tale hic intelligo, non quod veritatibus per experientiam acquiſitis, ſed cognitioni fabricæ noſtri corporis ſuperſtructum, morborum ſingulorum notiones ſiſtit diſtinctas & evidentes.

Principia huic Ratiocinio ſuppeditat partim Phyſiologia deſcriptarum in Anatomia partium, Phyſicæ, Mechanicæ & Chemiæ ope, munia docens & functiones.

Quatenus igitur partes cognitæ, uſus earum perſpecti, cauſæ lædentes variæ, ex læſionibus morbo primario

adſidentibus, tanquam ex ſignis totidem dignoſci ſe patiuntur, eatenus certi reddemur in Praxi per ratiocinium, nec obſtant proin, quæ de inſufficientia ejus, ad certitudinem comparandam omnimodam de morbis omnibus, argumentis pluribus evincere conatus ſum, quo minus maximam partem operis abſolvat, cui perficiendo integro impar eſt.

Plurima ad hæc confirmanda poſſem adferre argumenta A. O. O. H. ſed eamus modo per exempla, & fas mihi ſit, uno vel altero, ea quæ adſerui, illuſtrare ſpecimine.

Ex conditionibus ad curationem bene inſtituendam requiſitis, haud infima interdum eſt, ſedem morbi noſſe; hac quippe explorata, Prognoſis facilis fit, cura dirigitur ita, ut ſciatur per quasnam vias materies noxia ſi adſit, expelli queat, medicamenta

quæ-

quænam & quomodo optime adhiberi debeant, præcaveantur mala, quæ ex medicamento perverſe adplicato, oriri poſſent. Ponamus enim Medicum ad ægrotum vocari, Tuſſi laborantem vehementiſſima, & difficultate reſpirandi moleſtiſſima, neſciatur vitium inhærere Ventriculo, ſed Pulmones infarctos eſſe credatur; mittitur ſanguis, præſcribuntur emollientia, expectorantia, Tuſſim ſopientia, balſamica; augetur cauſa, non cedit malum, inceſſit metus ingruentis Phtyſeos: accedit Medicus alius, examinat ægrum, ſordibus acribus ſcatere primas vias deprehendit; excitari Tusſim per conſenſum irritatis nervis Pulmonum & Diaphragmatis, præbet laxantia, digerentia, expellentia colluviem corruptam, irritantem materiem aufert, digeſtionem reſtituit, ſanat brevi morbum, vix pro ſa-

nabili habitum. Nullum itaque dubium, quin ſedi morborum cognoſcendæ operam imprimis dare Medicum deceat; aſt conſtituit ſedem hanc pars corporis ea, quæ quacunque de cauſa in exercitio functionum ſuarum impeditur, propter nexum vero tam functionum, quam qui eſt meræ cohæſionis, partes non raro alias in conſenſum trahens; illi itaque explorandæ, quid magis inſerviat, quam ſitus partium, earumque uſuum notitia, mehercle non video.

Sed non ſolæ hæ utilitates, quæ ex cognita bene mali ſede reſultant. En plures, larvati ſæpe incedunt morbi, mille producentes ſymptomata, totidem morbis communia; hæc ſi explicare non potuerit Medicus, nec oſtendere, quomodo inter ſe cohæreant, mille ſibi finget cauſas, mille remedia, incertus quid agere debeat,

pru-

prudens tentabit forte nihil; explicabit harum turbarum ſyndromen, qui ſedem morbi detexit, novitque partis affectæ uſus, nexumque, per Nervos imprimis, cum partibus corporis reliquis; & licet clare intelligere interdum nequeat, quomodo exacte Symptomata inde oriantur, certus tamen de parte præcipua læſa, non curat reliqua; ſi malum eſt ſanabile, curam medicamentis ipſi accommodatis proſequitur, ſin contra, immedicabilem eſſe morbum ſecurus pronunciat, fluctuat nunquam.

Cernitis A. O. O. H. quantum interſit, ut recte judicetur de morborum ſedibus; verum omnes hi uſus ratiocinii fructus ſunt; prævidentur noxæ ex morbo principe oriundæ, dignoscuntur turbæ comites, inſtruitur Medicus de curatione rite inſtituenda, præcaventur medicationes perverſæ;

conditiones, mehercle, quas notio certitudinis practicæ comprehendit omnes.

Aſt objicietis forſan, etiamſi cognita fuerit mali ſedes, varias tamen exiſtere poſſe cauſas lædentes, non æque per ratiocinium detegendas ſemper. Repono, quod tali in caſu recurrendum quidem ſit ad obſervationes practicas, certum tamen eſſe non minus, quod ſi hiſce ratiocinium non jungatur, atque ſic ex mixtis binis determinati quid eliciatur, inutilis foret penitus, omnis qui diſquiſitioni impenditur labor. Exempla præbet innumera praxis quotidiana medica. Et ſint caſus tales, in quibus ratiocinium ſolum cauſæ ſpeciali dignoſcendæ non ſufficit, proſtant contra morbi innumeri alii, in quibus ratio ſola omne punctum fert. Catalogum horum integrum vobis exhibere velle nimis credo

do prolixum foret ; referantur huc modo Oculorum, Viſus & Auditus vitia ad unum omnia; Pectoris, Pulmonum morbi bene multi; Renum & Veſicæ morbi pene omnes; Hepatis viſcerumque reliquorum abdominis læſiones non paucæ; Manducationis, Deglutitionis, Digeſtionis vitia quam plurima; Nutritio depravata, quatenus a Chylo advecto non bono, aut & Sanguine non bene elaborato pendet, & qui hinc porro gignuntur morbi plures; Inſtrumentorum denique ad motum deſtinatorum, Oſſium puta & Muſculorum actiones læſæ nulla excepta omnes. Quid dicam de morbis ætatum quam plurimis? Generatur humorum lentor & ſpiſſitudo non inflammatoria, ex circuitu humorum tardiori & languidiori; hic vel a debilitate vaſorum, vel a nimia eorundem rigiditate; obtinet illud in Infan-

 tibus,

tibus, hoc in ætate provectis, hinc morbus idem in diversis, a causis diversissimis natus; distinguit has solum ratiocinium bene adhibitum. Apoplexia senibus non raro accidit, quod vasa in corporis trunco rigida nimis, a liquidis non satis distendi se patiantur, eantque hinc majori justo in copia ad Cerebrum, tanquam ad locum minus resistentem; agnoscit morbus idem causas alias in corpore robusto juvenili sanguineo, alias in phlegmatico & pituita multa repleto; distinguendis his ratiocinium iterum solum par est, nil fere contribuit experientia.

Examinare nunc lubet ulterius, quantum Ratio ad certitudinem conferat, ubi morbi ex causis eos inducentibus eruendi fuerint. Qualitates causarum omnium perspectas habere, siquidem humanæ solertiæ impossibile, vitia

vitia exinde nata, quod ex eis intelligi ſemper nequeant, probe quidem novi. Ecquis vero dubitat, dari nihilominus multas cognitas, ita ut notitia anatomica & phyſiologica ſi bene inſtructus quis fuerit, perſpicere poſſit, quinam ex earum adplicatione effectus in parte aliqua corporis natus, quodnam malum productum ſit: loquuntur hoc palam viciſſitudines aeris omnes, alimenta varia, medicamenta nonnulla, venena quædam, & quæ ſunt plura huc referenda alia. In Infantibus vires ad digerendos cibos exiſtere debiles, mobilitatem ſolidorum tenellis corporibus ineſſe ſummam, ſenſibilitatem maximam, novimus; victum præbent ut plurimum lacticinia, & ex frumentaceis præpaparata varia, hæc omnia in tepore adſervata brevi aceſcunt; eſt ergo ætati huic commune & familiare admodum

acidum ſpontaneum in primis viis; explicat Medicus ſagax ex cauſa hac ſola quomodo generentur Foeces virides, Flatus, Borborygmi, Diarrheæ, Convulſiones, Tinea, Puſtulæ & mala multa alia, certo exſtirpanda, unica eorum radice ſucciſa, correcta & ejecta acrimonia acida.

Prolixus nimis forem A. H. ſi caſus plures enucleare vellem, quibus recenſendis ſolis dies non ſufficeret. Ob rationem eandem ſuperſedeo quoque explicare uſum illum alterum, quem præbet adhuc Ratiocinium in examinandis morbis, quatenus certos nos reddit, cauſas a poſteriori detectas, genuinas eſſe & ſufficientes, probando nimirum a priori a cauſa obſervata effectum determinatum proficiſci potuiſſe, id quod inſignis interdum utilitatis eſſe, nullus ſaltem eſt Medicus qui ignoret.

Tran-

Tranſeo itaque ad uſus eximios magis ſpeciales, quos ex qualitatibus phyſicis humorum, & eorum habitu ad vaſa, percipit Medicus practicus. Qualitates has ſingulas quoque non compertas eſſe corporis noſtri ſcrutatoribus, luculenter quidem antea probavi; ſed deſtituat nos cognitio multorum, non deerunt tamen plures, quas habeamus perſpectiſſimas, feraciſſimas maximarum utilitatum. Cogitemus modo canalem a Corde exortum, elaſticum, conicum, in ramos laterales, divergentes, minores, decreſcentes, ſinuoſo flexu in varios gyros contortos, explicatum; abire horum ramorum extremitates non interrupto tractu in vaſcula anguſta primum, concurſu ſimilium ſenſim reddita ampliora, formantia demum Vas capax unum, ore ſuo patulo, magno, Cordi pariter continuatum, figura ſua

conica canali descripto perfecte simile; constituere illum Arterias, hunc Venas. Cogitemus porro, propelli a Corde in canalem priorem, humorem coccineum ex sphærulis rubris maximis, pellucidioribus, flavescentibus minoribus, coloris omnis expertibus aliis minoribus adhuc, & in serie indefinita magnitudine continuo decrescentibus, compositum; distribui hunc ita, ut capiant ramuli singuli nonnisi globulos suis orificiis respondentes, & qui his sunt minores, excludant majores; recipi denique liquidum sic distributum a vasculis minimis canalis alterius in vasa hujus majora, commisceri rursus inter se globulos diversos; revehi denique ad Cor, ad subeundum iterum motum eundem; cogitemus hæc inquam & habebimus ideam claram circulationis Sanguinis: ex hac quot non intelligun-

tur

tur mala, & explicantur Symptomata! ſi vel ſolæ metaſtaſes materiæ morboſæ alicujus, & ex inæquabili humorum circulo natæ in ſecretionibus turbæ conſiderentur. Sed pergimus & concipimus humorem circumeuntem in parte aliqua corporis ſegnius moveri, accumulari ergo copiam illius, & infarciri vaſa, ac diſtenſione facta nimia, perdere robur. En ſtagnationem natam infinitorum affectuum, imprimis chronicorum, foecundam matrem. Faciamus humoris particulam in vaſe vel proprio, vel errore loci in alieno ex cauſa quacunque hærere firmiter, tranſitum denegare omnem liquido inſequenti, præſto eſt obſtructio: naſcatur nunc ſimul in Sanguine ſtimulus, vaſorum contractionem & hinc ſanguinis ipſius circulationem accelerans, genita eſt illico cum inflammatione Febris; Lerna iterum

malorum; imaginemur nobis denique quæ orta ſemel inflammatione neceſſario contingènt, diſtendi ab impellente ſanguine vaſcula obſtipata, comprimi vicina, hæc eadem pati, compingi liquida, inter hæc & ſolida attritum fieri ingentem, patebit ſtatim evidenter, cur Tumor, Rubor, Pulſatio, Ardor moleſtiſſimus in parte adſint. In memoriam nobis revocemus tandem qualitates phyſicas humorum noſtrorum eas, quod circulo aucto condenſentur magis, inſpiſſentur, partes liquidiores amittant, reddantur non meabiles, ſalinum quod eos ingreditur ad volatilitatem diſponatur, blandam ſuam indolem exuat, induat acrem & rodentem, vitæ inimiciſſimam, alcalinum ut loquuntur Chemici evadat; intelligentur manifeſte conditiones omnes, quæ exitus inflammationis varios in

Re-

Resolutionem, Abscessum, Schirrum, Gangrænam determinant, intelligentur non minus symptomata Febrium acutarum multiplicia, horrenda sæpe & non raro lethalia. Finis non foret, si recensendis his singulis, & quæ inde in praxin præterea redundant commodis omnibus, vacare vellem. Ut me expediam, hoc unum duntaxat mecum adhuc considerare velitis A. H. quod ramuli canalis arteriosi minutissimi, venis, ut reliqui, non continuati, patulis suis osculis hient in cavitates nostri corporis, excepta prorsus nulla singulas, eructent ibidem liquorem tenuem, aquosum, lubricum, in animali quocunque aperto viso, vel adhuc calente, vaporis specie conspicuum, a concretione præservantem partes in cavitatibus contentas, rigiditatem præmaturam ab iisdem arcentem; resorberi liquidum hoc quic-

quid eſt omne, quamdiu ſanus eſt homo, a venulis exiguis quoque, & patentibus ſimiliter in cava corporis; recipi hinc iterum in Sanguinem, admiſceri eidem de novo, circumduci rurſus in orbem, inſervire denuo iisdem vel & aliis uſibus; hæc quæſo, perpendere modo velitis, & ſponte ſe offeret concluſio: ſi ros ille dictus in aquam condenſari non debet, neque ſtagnare in cavis quibus continetur, proportio ut detur neceſſe eſt inter humidum exhalatum & reſorptum. Proportionem hanc tollunt ſexcentæ cauſæ, tam in liquido exhalante, quam in Arteriis exhalantibus & reſorbentibus Venis deprehendendæ; ſed quis enumerabit omnes, diſtinguet ſingulas, morbum factum, qui Hydrops audit, ac in Abdomine, Thorace, Scroto, Utero, Capite, Tunica celluloſa omni exſiſtere poterit, cognoſcet?

ex

ex aqua ipſa ſtagnante, ſanguinem ſuis maxime liquidis privante, comprimente partes vicinas, putrescente demum, mala quænam generentur, quis perſpiciet? quis explicabit? Nemo alius iterum, quam qui cognitione ſtructuræ noſtri corporis mechanicæ imbutus fuerit, partium uſus non ignoraverit.

Pedem nunc promoveo A. O. O. H. morborumque per ratiocinium mechanicum certo agnitorum, Curationes aggredior rationales pariter ac certas.

Horologio comparare corpus noſtrum poſſumus non incongrue; ex variis enim utrumque componitur partibus, quæ per ſtructuram ſuam & modum quo invicem connectuntur, accommodatæ exiſtunt ad certos aliquos uſus exſequendos; duplex præterea in utroque poſſibilis eſt ſtatus, partibus nimirum dictis ad functiones ſuas rite

obeundas exiſtentibus modo egregie aptis, modo ineptis. Non intercedit inter machinam utramque ſimilitudo eadem, ſi de Curatione morborum in corpore humano & reparatione ejus quod deficit in Horologio quæſtio eſt: deficiat enim quid in rotula una vel altera horologii, quis vitium emendat? per inſtrumenta artifex: quis inſtrumenta dirigit? Manus ejusdem artificis: ſit vitium in homine, quis illi medetur? ſimilis quidem artifici hoc in opere Medicus, medicamentis quæ inſtrumenta ipſius ſunt, adhibitis idoneis; ſed quis medicamenta iſta in actum deducit, dirigit, iisdem utitur? non Medicus ſed corpus ægrotans ipſum. En differentiam: facit corpus medicamenta aſſumta pati eadem, quæ patiuntur alimenta, mutat eadem, agunt medicamenta in corpus, hoc in illa. En principium certitudinis, quæ
in

in exhibendis Medicinis ex ratiocinio physiologico resultat.

Ad effectus remediorum si attendimus, ad classes diversas ea redigi posse deprehendimus. Sunt remedia quædam, quæ restituunt simpliciter id quod deficit, ut aqua dum sanguini spissiori diluendo destinata copiose bibitur. Sunt alia quæ corrigunt, vel specifica, vel mechanica vi, materiam morbosam; agunt sic specifice antidota venenis contraria; salia alcalina acidis directe opposita, & vicissim; operantur mechanice Salia in genere tenaces humores incidentia, Mercurialia Sanguinem universum resolventia. Sunt demum plurima quæ solida duntaxat adficiunt, vel roborando ut adstringentia, vel laxando ut emollientia, vel diversos denique motus ipsis inducendo, ut Aromatica, Stimulantia acria in genere omnia, Antispasmodica e-

tiam, nec non Purgantia atque Emetica.

Hæreat nunc (ut modus remediis dictis utendi in exemplo conſtet) in Inteſtinis vitioſa quædam corruptorum ac putridorum humorum colluvies; hanc eliminandam eſſe judico, fieri id poſſe non aliter video, niſi actione Inteſtinorum ipſorum certa, qua mobilis reddatur materies, excutiatur ex ſuis latibulis, ejiciatur extra corpus; apta ad actionem hanc exercendam exiſtunt Inteſtina motu ſuo periſtaltico, quo gaudent naturali, immutetur hic modo ita & excitetur, ut ſcopo obtinendo par fiat; mutationem talem requiſitam motui illi inducere Rhabarbarum novi per experientiam, hunc itaque in juſta doſi exhibeo, feci quod poſſum, cætera perficit Natura. Similis perfecte eſt ratio Diureticorum, ſudoriferorum & remediorum eorum, quæ ſtimu-

mulando vaſorum contractiones dum augent, impacta reſolvunt, fluidorum vitia corrigunt. Ut enim effectus hi omnes per actiones ſolidorum imprimis obtinentur, ita medicamenta non directe creant illos motus, ſed mutant duntaxat ſcopo convenienter præexiſtentes; mortuo ſiquidem homine ne Arſenicum quidem quæ ſolebat amplius efficiet, nec exuret cutim in cadavere Lapis infernalis.

Proponam exemplum aliud. Sanguis in morbo aliquo putredini ſit proximus, præſcribo emulſiones, ſerum lactis, decocta avenacea, & quo ſcopo? Scio quod actiones vitæ aſſumta quæcunque convertant in alcaleſcentem, ut in arte loqui ſolemus, naturam, ſcio & quod medicamina recenſita in acidum ſint maxime prona, & proin putrido omni adverſiſſima; in his igitur immutandis dum occupata

eſt natura, longiori utique indiget tempore, impeditur itaque celer nimis humorum in putredinem tranſitus, impetraturque mora ut morbus Criſi ſolvi queat, nec mortem præmaturam advocet ſanguinis reſolutio nimia. Hac igitur in curatione ad effectum obtinendum actionibus corporis noſtri naturalibus utor, has ſubſiſtentes & cognitas ſuppono, mutationes quoque quæ per eas medicamentis inducuntur non ignoro.

Oſtendere poſſem in exemplis aliis, quod efficaciam remediorum determinent non minus humorum noſtrorum qualitates, & agant in ſe invicem pariter fluida noſtra & medicamenta: neque etiam probare difficile foret, quod ſi ſimplex tantum permiſtio v. gr. aquæ cum ſanguine ſpiſſiori, aut correctio ſpecifica intendatur, neceſſe tamen habeant ea qua exhibentur commis-

misceri per vires vitæ humoribus inquilinis, & deferri ad loca ubi agere debent, ibidemque in actum deduci; sed nolo his inhærere diutius, satis quippe est evicisse, non mere passive se habere corpus nostrum, sed omnino active ad medicamina data, nec esse horum actiones alias nisi relativas; sanationem proin absolvere non Medicum proprie, sed Naturam, illum porrigere tantummodo instrumenta, hanc exhibitis uti, illum ex notione morbi cujuscunque singularis consilio capto dirigere motus naturales in bonum finem, mutare hos diversimode, prout scopus id postulat diversus, excitare eos denique si torpent nimis, compescere effrenos, sopire irregulares, & ne hæc quidem medicamentis exhibitis actuosis sponte, verum talibus plerumque, quorum virtus cognita in habitu certo, quo gaudent

& ad fluida & ad ſolida noſtra, reſidet unice; qui fieret enim aliter, ut, quæ nobis præſentiſſimum eſt venenum Cicuta, impune devoretur a Sturnis, & contra quæ nobis gratum alimentum præbent amygdalæ amaræ, toxicum exiſtant Sturnis iisdem, & alitibus pluribus?

Poſitis hisce & demonſtratis, ſponte, credo, ſe offerunt requiſita ad Curam, ſecundum rationem perficiendam neceſſaria. Materies morbifica adſit foras ejicienda, ex indole hujus & ſede, nec non ſtructura corporis dijudicet oportet Medicus, per quasnam vias id fieri queat; ad finem aſſequendum, cum corporis ipſius actionibus ſolidorumque motibus indigeat, quænam in his provocari debeant mutationes & quomodo, intelligat; præparanda materia ſi fuerit, antequam eliminari poſſit, aut corrigendum quid

ſi

ſi adſit in humoribus reliquis, per ipſas iterum vitæ vires, quantum incitari hæ debeant, vel moderari in caſibus diverſis, quibusnam indigeat natura inſtrumentis, per artem illi ſuppeditandis, ex materiæ & humorum natura, vaſorumque in hos actione colligere ſciat; perſpectas non minus habeat mutationes tam fluidis noſtris quam ſolidis ex motu horum vel nimis inerti, vel & irregulari timendas; nec quomodo his occurrere queat, ignoret; qualitates demum medicamentorum & humorum noſtrorum tam ſanorum quam morboſorum, quanam ratione ad ſe invicem ſe habeant cognoscat; cognoscat & mutationes medicaminibus inducendas, dum pati coguntur eadem, quæ alimenta aſſumta, ſcilicet, ut judicet an noxias quoque poſſideant dotes, præter eas quæ in iis deprehenduntur ſalutares. Utilitatem quam

habet ſummam ultimus canon hicce, experiuntur ſane quotidie Medici, quibus affectiones ex Scorbuto & obſtructionibus Viscerum ortæ, curandæ obtingunt. Uſus eximii in hisce caſibus cenſeri herbarum fructuumque horæorum ſuccos expreſſos, nemo ignorat; verum an ſemper propinari queunt? certe nequaquam, conveniunt enim nonniſi in iis, qui Ventriculo gaudent robuſto, vetat eorum uſum Ventriculi naturalis debilitas, vetant & aliquando ſpaſmi, ex cauſa quacunque in digeſtionis organis producti, eorumque functiones turbantes; hisce enim exiſtentibus, ſi exhibeantur nihilominus ſucci dicti, acescunt certiſſime, & vomitus, diarrhæas, tormina creant, appetitum omnem penitus proſternunt; contigit ſaltem id mihi aliquoties, contigerunt non ſemel ex cauſa eadem ſimilia illis, qui

vic-

victum ex ſolo lacte præceperunt Podagricis, quoties ſcilicet Ventriculus aut nimis debilis ex conſtitutione naturali, aut Spaſmis affectus, noxas ex lactis aceſcentis coagulo oriundas perferre cogebatur. Unde & factum quod probe diſtinguendum eſſe crediderim inter vires, quas medicamenta habere poſſunt, dum ad ſanguinem revera jam delata cum eo per vaſa circulantur, & inter effectus eos, quos edere queunt, ubi mutationes ſpontaneas in primis viis adhuc ſubeunt; etenim agunt longe aliter in humores ſuos vaſa noſtri corporis, ac agunt in contenta ſua Ventriculus & Inteſtina. Dixit eleganter *Sydenhamius* ob motus involuntarios mirificos, quos a Syſtemate nervoſo mobili obſervabat productos, *contineri quaſi hominem in homine*; posſumus mehercle! jure non minori, licet ratione abſimili dicere, *contineri*

officinam in officina; chyli unam in altera ſanguinis. Atque hac ipſa in re ni fallor, quærenda etiam eſt ratio, cur viperinum venenum ad uncias plures epotum atque ad Ventriculum demiſſum, mutandumque ibidem, noceat nullo modo, interficiat certiſſime guttula illius vulneri cruento illita, & ſic ſalvis ſuis viribus cum Sanguine immediate communicata; cur detur ſimiliter cani innocue deuoranda bilis ex peſte mortui hominis, quum tamen canem eundem peſte inficiat nunquam non vulneri inflicto inſtillata bilis eadem.

Sed redeo unde diſceſſeram. Exhibui in compendio, quæ requirebantur in Medico maxime neceſſaria, ut curam ſecundum rationem inſtituendam & excogitaret & abſolveret. Requiſita hæc, conditiones hæ poſtulant, ut unicuique facile liquet, abſolutiſſimam cognitionem phyſiologicam &

anatomicam, hac deſtitutus deſtituetur pariter ſucceſſu felici in curationibus mere rationalibus adornandis. Quandoquidem vero Curationes ejusmodi ratiocinio phyſiologico atque mechanico eique certo ſunt ſuperſtructæ, ſic certæ etiam erunt, quatenus ſcopo ſunt accommodatiſſimæ, non perperam inſtitutæ, rationi innixæ, nec ſine prudentia meroque tentandi conſilio adhibitæ; nec repugnat quod curationibus vel optimis respondeant non ſemper effectus ſucceſſusque optati, cujus rei rationem in ſermonis fine indicare non negligam.

Siquidem vero ex medicamentis alia ſunt experientia & uſu tantum detecta, alia per rationem nota, ſic ut horum proprietates extra corpus exploratæ, certiores nos reddant de effectibus in corpore ipſo exinde profecturis, veluti id de Sapone v. gr. de

Salibus alcalinis & acidis, de emollientibus quibuscunque & diluentibus, aliisque quamplurimis affirmare possumus; ut de usu detectis illis hoc quam maxime notetur opus esse censeo, quod duplicis præcipue sint generis. Sunt nimirum talia quædam, quæ morbos quosdam singulares, aut vitia specialia sanant, ita ut modum eorum agendi in corpus, & mutationes quas vel in solidis vel in fluidis producunt, penitus ignoremus; efficax hac ratione remedium contra Febres intermittentes præbet Cortex peruvianus, efficacia simili prædita in morbis quibusdam aliis quoque inventa fuere magis vel minus specifica remedia. Sunt iterum talia quædam, quæ qualitates quasdam certas ad corpus nostrum relativas possident, sic ut intro assumta aut externe adplicata, licet modum quo agunt distincte etiam non intelligamus, ef-

effectus tamen edant ſenſibiles tales, qui ſpeciem naturamque mutationum vel fluidis vel ſolidis inductarum manifeſte exhibent; referri in numerum horum debent Cantharides, Anodyna, Purgantia, Nervina, aliaque ſimilia perquam multa.

Dicam de illis in ſequentibus, memoro autem hoc loco de hisce ultimis, quod utamur iisdem in curatione rationali, mechanismo noſtri Corporis innixa, eodem plane modo quo utimur medicamentis, quorum operationes per rationem notas eſſe dixi. Etenim ponamus omnino nescire nos Opii, Terebinthinæ, Rhabarbari agendi modos, novimus tamen mutationes in motibus ſolidorum, aut qualitatibus liquidorum produci tales, quibus ſomnus concilietur, conſopiantur ſpasmi, cohibeantur excretiones nimiæ, cieatur urina, expurgentur primæ viæ;

mutationes itaque ejusmodi, ſive conditiones talia efficientes, ut in corpore producantur, ſi poſtulat curatio, exhibemus illa de quibus eas expectare poſſumus, curioſi parum cur efficacia iſta prædita ſint. Idem dicendum quum ſit de medicaminibus hujus generis aliis, videtis A. A. dilui ſtatim quod ex ignorato modo operationis eorum contra curam rationalem ſuboriri potuiſſet dubium. Obſcuri præterea nihil amplius habent, ſecundum rationis præcepta inſtituendæ curationes Febrium acutarum ac inflammatoriarum per diluentia, acida, impetum minuentia & derivantia, pediluvia, clysmata, laxantia, venæſectiones; Obſtructionum reſolutiones per ſaponacea, ſalina, ſtimulantia, roborantia; Correctiones humorum acrium per oppoſita; Sanationes morborum infinitorum qui ex ſola digeſtione

ne mala in primis viis, & hinc impedita perſpiratione inſenſibili, turbata, tam vitio fluidorum quam motu non regulari ſolidorum, circulatione in vasculis minimis & ſecretione in organis huic functioni dicatis, gignuntur. Et quo delaberetur oratio, ſi ad ſpecialiora deſcenderem, inter quæ referre etiam liceret vitia omnia illa, quæ chirurgicam deſiderant opem; etiamſi enim in luxatis partibus reponendis ſola forte manus medentis inſtrumentis commodis adjuta ſufficit, operandi tamen modum dictat pariter rationi convenienter mechanismi cognitio; & in ſanandis Tumoribus, Ulceribus, Oſſibus fractis, ſicuti Natura, eodem plane modo ut in morbis internis omnibus, opus abſolvit, ita & regulæ ad bene curandum præſcriptæ, rationem ſuam ſimiliter inveniunt, in cognita ſtructura, cognitisque uſibus partium

noſtri corporis; licet fortaſſe ratio hæc pauciſſimis tantum Chirurgis ſit perſpecta, unde & non mirum tam graves ſubinde in hac arte committi errores.

Cæterum animadverſione dignum eſſe cenſeo, quod praxin non æque felicem experiantur Medici, ratiocinium licet mechanicum pro norma ſuarum actionum habeant, omnes, idemque morbus a Medicis duobus perfecte intellectus, fruſtra non raro oppugnetur ab uno, qui facile debellatur ab altero, ideo quod in Curationibus rationalibus diverſa ſæpe liceat incedere via, quarum ſi brevem aliquam & expeditam perſpicacia ſingulari & ſagacitate præditus excogitaverit aliquis, obtinet per pauca, quod alius per ambages quæſiverat ſine ſucceſſu tentando multa. Interim facit quoque huc non parum medicamen-

mentorum ſelectus: præ aliis omnibus Camphoram mederi Maniæ, ſat crebra docuerunt exempla: Mictum cruentum cohibitum fuiſſe aliquando memini adſtringenti Equiſeti decocto, adſtringentia alia quam plurima poſtquam uſurpata eſſent ſine fructu ullo: Pulmonum pituitam tenacem & lentam attenuare & proſcribere ſi quis velit, tentabit hoc multo felicius per Gummi ammoniacum & Squillam quam per attenuantia alia ulla: glutinoſam viscoſamque materiem primas vias obſidentem fruſtra diu aromaticis, acribus, digerentibus varii generis mobilem reddere conatus ſum, & expellere laxantibus, debellavi nuperrime per uſum radicis Ari recentis: Febres intermittentes valde rebelles nec cortici peruviano, nec febrifugo noto alii ulli obtemperantes, fugavi aliquoties paucis granis Mercurii dulcis cum campho-

phora in æthiopis ſpeciem reductis: Diarrhæam pertinaciſſimam licet benignam, Ipecacuanha, Rhabarbaro, anodynis, adſtringentibus diverſis, medicamentis aliis varii generis fruſtra oppugnatam per plures menſes, devictam tandem vidi in tribus ægrotis intra paucos dies, ſolo Simarubæ cortice. Notet igitur in futuros fortaſſe uſus, quæ apud alios commendata imprimis invenit medicamina, Medicus.

Demonſtravi argumentis, illuſtravi exemplis ampliſſimum Anatomiæ & Phyſiologiæ, ſeu quod idem eſt, Theoriæ in praxi medica uſum; ob oculos vobis poſui, Theoriæ eidem quod ſuperſtructum eſt Ratiocinium, quantam largiatur certitudinem in cognoſcendis morborum ſedibus & cauſis, atque explicandis, ex binis hisce quæ reſultant, ſymptomatibus; quam certa tandem ſit, quæ ex ratiocinio illo

de-

deducitur curatio, clare, ut opinor, explicavi. Jam velit quis modo cogitare progreſſus Anatomiæ & Phyſiologiæ eximios ac præclaros, inventa præcipue egregia circa ſtructuram ſubtilem Viscerum, & qui ex iisdem deducuntur admirabiles uſus: licet enim, quod ſupra jam evictum dedi, vasculorum minimorum in partibus quibuscunque contorſiones, figuras, amplitudines, firmitates, divaricantes angulos metiri exacte, ex iisdem accurate dimenſis, ratione ſimul habita fluidorum ſpecialium, qui derivantur effectus determinare non queamus, definire tamen poſſumus in genere, quod abeant vasculorum extrema in tubulos capillares minutiſſimos, miris ac diverſis modis ſinuoſo flexu contortos, ratione certa inter ſe communicantes, in ramulos quamplurimos ſub diverſa angulorum magnitudine diviſos,

ſos, quoad figuram modo conicos, modo cylindricos, quoad fines modo osculis apertis in cava certa hiantes, modo vaſculis certis aliis continuatos, quoad liquida contenta tandem, vehentes modo ſanguinem rubrum, modo Lympham aut hac tenuiorem liquorem, modo humores ex liquidis prioribus varia, non minus tamen certa ac definita ratione præparatis, commiſtisque compoſitos; definire poſſumus non minus, ex generalibus hisce quænam ſequantur neceſſaria effecta, permiſtio, dilutio, ſecretio, fluoris conſervatio, quænam patiantur liquida proprietatibus certis prædita, celeritate vel majori vel minori in vaſorum flexilium mæandros iſtos pulſa, attenuationem, inſpiſſationem, quorum iterum diverſitates adſignari queunt, pro diverſitate commemoratorum generalium in Visceribus diverſis. Hæc inquam cogi-

gitare quis velit, & reminiſci præterea læſiones partium non paucas vix cognoscibiles, morborum claſſe a me exemtas, in pertractatione hacce noſtra proin penitus negligendas; convictus ni fallor, adſerere mecum non dubitabit, vitia haud poſſe occurrere multa, quæ cognoſcere non liceat, & quibus, ſi ſint ſanabilia, mederi nobis datum non ſit cum inſigni certitudine: neque derogat credo certitudini, quod, uti objicere fortaſſe quis posſet, docente Anatome, deficiat interdum ex Visceribus unum vel alterum, occurrant in iisdem varietates, transpoſitæ imo inventæ ſint ſemel *Riolano* teſte, partes in Thorace & Abdomine contentæ omnes, ſic ut in ſiniſtro latere ſitæ eſſent, quæ locatæ ſunt naturaliter in dextro. Rari quippe ſunt caſus, in quibus talia reperiuntur; rariores ſunt in quibus varietates iſtius-

modi in morbos influunt; rariſſimi denique exiſtunt, in quibus illa ſpeciatim Viscera, quæ loco ſuo naturali non continebantur, labe quadam affecta deprehenſa fuerunt: & ſi qui tales etiam occurrerent, nonne idem foret, ac ſi ſortem quis ducturus, inter millenas exituras unam duntaxat infelicem metuendam haberet? atqui ſanus nullus, ut opinor, invenietur, quin tali in caſu certus ſatis de præmio accipiendo ſibi jam in anteceſſum gratuletur.

Qui ſuperſunt morbi, per Ratiocinium ſolum, quatenus principiis anatomicis atque phyſiologicis cognitis nobis innititur tantum, non explicabiles, accidentia iſta ſunt, quæ Irritabilitati partium ſolidarum noſtri corporis & qualitatibus humorum noſtrorum phyſicis, nobis non compertis, ab iisque quas habemus perſpectas diverſis, originem ſuam debent A.A. atque adeo ex

ex hisce tanquam principiis ſuis ſpecialibus intelliguntur unice.

Ne obſcurus evadam in ſequentibus, de *Irritabilitate* imprimis ut præmittam opus erit pauca quædam, quibus notio vobis ingeneretur termino respondens clara & perſpicua.

In machina quacunqne ut exiſtant actu poſſibiles per ſtructuram actiones, in motu oportet conſtitutæ ſint partes: præter fabricam igitur ut adſit motum hunc ingenerans cauſa, ſeu principium aliquod mobile primum, neceſſe eſt omnino. Eſt principium hoc, ut videtur, in plantis calor, aerem elaſticum in fiſtulis illi vehendo deſtinatis contentum expandens, & promovens hac ratione ſuccorum circulum; eſt in machinis artificialibus non idem in ſingulis; ſubit hujus vicem in molendinis vel ventorum vis, vel aquarum gravitas; adeſt in horologiis

vel elater vel pondus. Neutrum quidem habent corpora animalia, habent tamen ſuum proprium, quod quomodo aliter appellandum ſit quam Irritabilitas neſcio. Aquis ſubmergitur homo ſaniſſimus, hæret ſubmerſus per horam, vel & ſæpe diutius, protrahitur tandem, vitæ ſuperſtitis nulla ſigna edit, ubi pro derelicto habetur, funus eſt certiſſimum; id ne contingat, inſtituuntur frictiones, adhibentur balnea calida, immittitur Inteſtinis aer, percutiuntur plantæ pedum, vel & omiſſis his omnibus, infunditur tantum naribus Spiritus volatilis alcalinus acerrimus, redit motus, redit vita. Syncope corripitur alius, motu ſenſuque omni deſtitutus mortui inſtar jacet, perfunditur corpus aqua frigidisſima, ſeta porcina intruditur naribus, aut provocatur per inſtrumentum vomitus, excitatur æger, reſtituitur cum

mo-

motu ſenſus. Qualisnam erat in homine utroque ſtatus? idem certe qui eſt in horologio, a cauſa externa quieſcente pendulo; erant quippe ſolida adhuc bona, vi morbi non fracta, fluida nondum coagulata aut corrupta; deficiebat ergo nil niſi motus, redditur hic, dum irritantur variis modis partes nervoſæ & Cor ipſum, hujus contractiones rurſus provocantur, humorumque circulus reſtituitur in integrum. Illuſtrant id & evincunt adhuc magis experimenta in animalibus inſtituta; apertis ipſis vivis, illinatur acerrimi olei vitrioli guttula tunicis externis Inteſtinorum, contrahuntur hæc ſubito violentiſſime; enecatis mox poſt mortem, per tubulum vel Ductui thoracico aut Venæ cavæ immiſſum, aere repleatur ac diſtendatur Cordis quieſcentis ventriculus dexter, reſtituitur ſtatim motus ejusdem & provo-

catur de novo per aliquot horas; quid quod in ipſis hominibus violenta morte extinctis, motus Inteſtinorum periſtalticus ſatis diu ſuperſtes viſus fuerit, quo ipſo cavere voluit Creator, ne ex levi quacunque cauſa nobis ſtatim moriendum eſſet; mittunt quippe Inteſtina motus periſtaltici ope Chylum vel Lympham ad Venas ſubclavias, harum vero Sanguis per motum admixtæ Lymphæ ſimul in motum conſtitutus, & Cor dextrum ingreſſus, illud irritat; adeſt ergo in homine cauſa naturalis, qua redintegretur motus, ut in animi deliquio, a cauſa qualicunque non gravi imminutus, ſi non plane deperditus interdum.

Continent Exempla quid per Irritabilitatem intellectum velim; quomodo corpori inſit, & ex ſtructura partium minimarum ſequatur, fateor, ignoro; ſedem ejus eſſe in Nervis & partibus mem-

membranaceis, appellatis nervosis, tendinosisque, novi; liquidum tenuissimum, mobilissimum, a Sanguine nostro in Cerebro secretum, per Nervos ad partes corporis omnes distributum, sub Spirituum animalium nomine veniens, per irritationem partium dictarum, momento citius, simul in motum deduci, nec vigere multum absque hujus influxu motum, qui a muscularium fibrarum contractione fit, experimenta in animalibus instituta, vulnera hominibus inflicta, ligatis, abscissis Nervis ad partem aliquam tendentibus, & quæ sunt plura alia evidenter docent. Neque tamen Spiritus principium mobile primum ipsum, ut videri posset, constituunt, non movet quippe in casibus memoratis seta porcina aut vitrioli oleum, ipsos Spiritus, sed vellicantur tantummodo membranæ, facit dein horum Irritabi-

litas, ut Spiritus in partes ablegentur, horumque influxu musculares motus insignes illi producantur. Confirmant ni fallor sententiam hanc Anatomicorum observationes, quibus videre contigit, quod ranis musculo quodam una cum nervis exciso, per scalpellum nervis hisce irritatis, musculus nihilominus evidenter satis sese contrahat. Taceo, omnibus quod notum est, corda intestinaque animalibus imperfectioribus, Ranis, Lacertis, Piscibus variis evulsa, movere sese adhuc pergere, quamdiu calida sunt, conservari quinimo posse satis diu in partibus hisce frigescentibus facultatem illam movendi, blando ex aqua calida fotu. Quidni & aliquid probare poterit Operatio chirurgica illa qua cataracta deprimitur? institui profecto hæc operatio nequit, quin acus perforet ipsam Retinam, totam fere ex nervosis fibril-

brillis constructam tunicam; verum nullus hinc oritur dolor, nulla irritatio, dolor tamen acerbissimus cum statim percipiatur, si acus inter perforandum lædat forte ciliarem nervulum quendam; an enim ratio alia hic subest, quam quod Retinæ Nervi mollissimi, & involucro duriori orbati sint, contra vero Nervi ciliares involucrum suum, solum fortasse irritabile, nequaquam deposuerint? nascitur certe suspicio hæcce, si non contendamus mox memorata contingere ideo potius, quod Nervi Retinæ ad sensum, ciliares vero ad motum destinati reperiantur.

Verum e diverticulo in viam. Principium hoc mobile concipiamus ope Nervorum liquidi agere in nostrum corpus ita, ut motus concilietur partibus ubique æquabilis, nec non inter contractionem seu systolen vasorum

& vim ea diſtendentem liquidorum, juſta ſervetur proportio illa, qua excretiones ſecretionesque debito modo obtinentur, erit, cæteris iisdem, perfecta ſanitas.

Turbetur iſta proportio, nec ſubſiſtat amplius motus ille ſolidorum æquabilis, ſed adſit in una vel altera parte vasculorum contractio major debita; Sanguis a Corde veniens non propelletur amplius ad omnes ſine discrimine partes uno vigore placidoque motu, ſed ruet majori copia & impetu ad loca, ubi tenſio & reſiſtentia minor; orientur hinc dolores, humorum congeſtiones, & non raro ex vaſis effuſiones; turbatæ etiam hinc erunt excretiones ac ſecretiones & quæ ſunt functiones partium, quæ afficiuntur, plures; ſtatus ergo erit morboſus, pro circumſtantiarum ratione magis vel minus gravis.

Mu-

Mutationes iſtas principio huic mobili noſtro quidquid inducit, acre ſit, vel frigidum, vel vellicans, id omne ſtimulum voco, & ſpasmos appello contractiones ſolidorum non naturales, morboſas, a ſtimulo productas. Notetis interim velim, ſtimuli vice fungi etiam poſſe animi paſſiones; productosque his ipſis motus in ſolidis irregulares docere nos modum, ad quem perturbationes animi morbos inferunt corpori, cauſa non præexiſtente vel concurrente corporea, aut materiali.

Quemadmodum motus in corpore noſtro naturales, qui præſunt functionibus partium rite perficiendis, ad certam quandam abſolvuntur normam, ita & legibus ſuis certis adſtricti deprehenduntur motus illi perverſi, functionum depravatarum, & moleſtiarum multarum cauſæ ſæpenumero imme-

diatæ. Tendunt interim hi utplurimum ad amovendum id quod causa ipsorum existit, sanitatique est infestum stimulans, sic nempe ut media sint naturalia, quæ corpus ægrotans ipsum suppeditat, in propriam conservationem. Novit hoc *Hippocrates*, naturæ ideo magnam sanandi vim tribuens. Novit id *Helmontius*, præfecitque his motibus suos Archæos, unicum nempe universalem & Præsidem, particulares plures atque Rectores totidem viscerum. Novit celebris *Stahlius*, finxitque ideo principium quoddam sensatione & cognitione præditum, quod nocentes intro causas velut ex longinquo prævidens, motu quasi excandescentiæ adversus illas se armet.

Interea, quod dolendum est A. A. leges illas perversorum motuum, a priori ratiocinando, determinare non valemus, & definire eas licet tantum per

per obſervationes inſtitutas accuratas. Conſtat ergo vel ob hanc ſolam rationem obſervationum uſus & neceſſitas. Profecto! nesciremus absque his, quod dentur vaſorum Spaſmi propellentes fluida a corporis peripheria ad interiora: quod dentur rurſus alii, fluida eadem ab interioribus ſive a centro moventes verſus exteriora: quod dentur porro motus ſpasmodici & univerſales & particulares: Illi, ſi ſuperficiem corporis primo ſtringunt, humoresque verſus vaſa magna ac Cor repellunt, humores repulſos dein vigore naturæ verſus corticem iterum magno cum impetu & celeritate magna movent, Febris ideam ſiſtant: Hi, ut plurimum dolores pariant, certis nerveis partibus inſideant, & pro harum diverſitate varia ſortiantur nomina: exiſtant iidem non ſemper morboſi, ſed recenſeri inter eos mereantur quoque mo-

tus illi naturales, ſalutaresque, definiti tenoris omnes, qui temporibus certis in nobis producuntur, quoties quid vel eliminandum vel removendum eſt, quod in corpore noſtro naturaliter genitum quidem fuit, temporis tractu autem ipſi futurum aut incommodum, aut infenſum; motus volo determinatos illos, quibus oſcitatio & ſternutatio fit, quibus alvus onere ſuo liberatur, urina exinanitur, feminæ ſanguine ſuo per menſes, viri per hæmorrhoides exſolvuntur, foetus quin etiam in lucem editur. Nesciremus denique quod morbi prout differunt, diverſi quoque ſint qui eos vel efficiunt immediate, vel comitantur Spasmi; ſicque exempli cauſa, ſanguinis profuſiones per nares, ex Ventriculo, ex Pulmonibus, frigore pedum & manuum, contractione habitus externi, interna vero anxietate & pulſus duritie, fere nun-

nunquam non eam ob rationem ſtipentur, monſtrantibus adfectibus aliis alia. Ignoraremus præter hæc, motus vitioſos ſpaſticos vehementiores propagari ſæpe mirifice per univerſam nervorum ac membranarum compagem, & hinc variam oſtendere faciem, prout vel nervos octavi paris atque intercoſtales, aut alios adficiunt; quid? quod ſpaſmi ejus ſint indolis, ut quam partem ſemel occuparunt, ei talem inducant habitum, ut poſtea levi de cauſa repetant; partibus quoque ad quas cum impetu & copia ingenti Sanguinem & fluida reliqua pellunt, maximam inferant debilitatem, & ad varia ſuſcipienda mala diſponant. Ut plura recenſeam circa hanc materiem a Viris in arte celeberrimis annotata non opus eſt. Satis erit dixiſſe adhuc, quod ex Spasmorum doctrina luminis multum etiam adfundatur legibus

illis ſatis conſtantibus, ſecundum quas morbi connecti inter ſe, ſuccedere ſibi mutuo, & denique dependere a ſe invicem deprehenduntur. Hæmorrhagiæ narium qui fuerunt adſueti in puerili ætate, dum accedit juventus, proni ſunt ad Pectoris morbos, Hæmoptoen, Aſthma, Phtyſin, in ætate provectiori affectus ſæpiſſime incurrunt arthriticos, ischiadicos, nephriticos & colicos. Malum hypochondriacum comitantur non raro hæmorrhoidalia pathemata, vel ut ſymptomata vel ut cauſæ; hæc qui experti fuerunt, obnoxii ſunt Pectoris affectibus variis, anxietatibus circa præcordia, Inteſtinorum torminibus. Conſentiunt inter ſe affectus podagrici, nephritici & hæmorrhoidales, ac convertuntur in ſe invicem. Hæc omnia ægre intelliguntur ex corporis ſtructura uſuque partium ſolis. Continetur

in

in his ratio cur mutationes iſtiusmodi certæ in corpore exiſtere queant, ut exiſtant actu conſtanter tales, & quod idcirco ad regulas revocari poſſint, faciunt leges ſecundum quas agere in motibus ſuis morboſis conſuevit principium mobile. Habeant ſe aliter leges illæ, mutationes in corpore noſtro dum ægrotat obviæ, non erunt amplius eædem.

Progredior ad qualitates fluidorum noſtrorum phyſicas, ſub quibus comprehendo non ſolum qualitates jam morboſas ipſas, ſed & indolem illam humorum ſanorum in ſingulis ſingularem, vi cujus a cauſis diverſis alterari poſſunt diverſimode. In Scorbuto maculæ deturpant corpus lividæ, tument ac ſanguinem fundunt gingivæ, & nullus fere eſt morbus, quem non ſimulet malum illud. Venerea lues exoſtoſes producit, dolores intolerabiles noc-

turnos, exulcerare facit palatum ac narium cava, & quæ ſunt ejus ſymptomata plura. Eſt morbus Polonis endemius, Plica vocatus, quod concrescant conglutinenturque in cirros inexplicabiles capilli capitis inſtar caudæ equinæ, feruntur hi cirri cum ſanitatis emolumento, ſi abſcinduntur, impetunt corpus morbi graves, dolores capitis atroces, inſultus epileptici, Mania, Cæcitas, Arthritis, Ulcera foeda. Contagioſi plus minus ſunt morbi fere omnes ex corruptis humoribus lymphaticis in corpore noſtro nati, non ita per contagium ſe propagant morbi maſſam humorum univerſam obſidentes alii. Communia multa quidem habent Febres petechiales, peſtilentiales, Variolæ, Morbilli, aſt quot non ſunt ſymptomata etiam ſingulis propria? Unde hæ diverſitates, morborum quis conſideret externam faciem,

ciem, consideret periculum quod minantur, vel exitus quos sortiri solent? ex specifica indole prava humoribus nostris inducta; hanc in affectibus hujusmodi quibuscunque quis definiet, ita ut clare a priori constet, quomodo morbum hujus vel illius speciei, non alium, producat? Mortalium nemo. Opus itaque est iterum observatore sedulo, a posteriori qui determinet in singulis quæ sunt singularia. Id quod eo magis requiritur si quando stimulum continet materies morbosa, quo fit ut concitentur non tantum in solidis motus, pro diversitate & materiei ipsius, & cui inhæret humoris corporisque partis singularis, diversi, sed & ipsis illis motibus variis, mutationes sæpenumero variæ generentur in materia ipsa rursus, quibus vel pejor vel melior redditur morbi status.

Pendent hinc memorabilia multa in

morbis chronicis obvia. Nituntur & hoc fundamento, quæ de acutorum ſymptomatibus, præſagiis, coctionibus & criſibus memoriæ prodiderunt veteres, confirmaverunt recentiores, obſervant adhuc quotidie Medici ſolertes. Natum ſit in corpore ex cauſa quacunque vitium, ſtimulo præditum tali ut motus producat ſpasmodicos febriles, cum impetu ſtatim movebuntur humores, turbatæ erunt ſecretiones & excretiones omnes; gignentur forte hic vel illic Spasmi particulares, diſtributionem liquidorum in orbem euntium æquabilem impedientes, pellentes ea ad partes minus reſiſtentes ac fortaſſe nobiles, & præſto erunt mala ſymptomata; mutabitur præterea his motibus ipſe Sanguis & materies nociva; ſi nunc ſubigi hæc nihilominus a viribus vitæ nequeat, perdurabit Febris, qua nimis diu pro-

trac-

tracta, vitia pessima contrahent humores, vel enim nimis solventur, & acres fient, aut spissescent nimis, hærebuntque in vasculis minimis Pulmonum, Cerebri, aut partium aliarum; inflammationes inducent, & tandem mortem; quod si contra talis fuerit indolis materies, ut attemperari ad excretionem se patiatur, conquiescent certo exacto tempore cum Febre Spasmi; sopitorum horum indicium exhibebunt pulsus mollities, sudor per totum corpus æqualis, urina turbida, sputa prodeuntia, alvus suum præstans officium; materiæ per loca convenientia evacuandæ signa præbebunt certi quidam in pulsationibus Arteriarum rhythmi, & quæ sunt alia pro ratione morbi specialis diversa.

Repeto quod jam semel dixi, a priori hæc omnia ratiocinando definire quis posset? Faciunt morbum, determinant

ejus decurſum & exitum vel in mortem vel in ſalutem indoles ſingularis ac ſpecifica materiæ vitioſæ, ſolidorum ex irritamento natæ contractiones, maſſa Sanguinis quæ per has mutatur tota, concurſum tot cauſarum quis expediet? imprimis cum tantas alant diverſitates aucti præſertim effectus morboſi, ſic ut in uno quod eſt ſalutare noxium ſæpius deprehendatur in altero. Inſaniam, Surditatem diuturniorem, Paralyſin linguæ, tanquam mala ſymptomata in morbis quibuscunque quis non reformidaret, niſi expertus noverit, ſuccedere eadem non raro criſium inſtar morbis petechialibus, & curatione vix indigere, per tempus ſponte ſanabilia? Diarrhæa quam diverſa non indicat, Febribus ſi accidat petechialibus, pleuriticis, varioloſis? quam diverſa rurſus eadem non præſagit in morbo ſpeciei ejusdem,

v. gr.

v. gr. in Variolis, pro temporis & circumſtantiarum comitantium, nec non diſpoſitionis ægroti varietate? perſpectas enim quis habeat cauſas poſſibiles omnes, Diarrhæam, qua talem, efficientes, cognoſcere tamen vix, ſi unquam, poterit, quidnam ſignificet, quatenus tanquam accidens in caſibus variis ad morbos dictos refertur. Conſtare hæc & ſimilia debent per obſervationes ſedulas & exactas.

Hæ vero ita inſtituuntur A. A. advertit Medicus ad ægrotantis ætatem, ſexum, temperiem, conſtitutionem magis vel minus ſenſibilem, vivendi genus, excretiones ſanguineas vel alias conſuetas, morbos antegreſſos, vires; examinat dein morbi quo conflictatur ortum primum, occaſionem, cauſam; in hujus decurſu notat ſymptomatum remiſſiones, ſi adſint, & intermiſſiones, læſiones conſpicuas in

 func-

functionibus quibuscunque, excretiones primariæ quomodo ſe habeant tempore morbi quocunque, quinam harum & ſymptomatum ſit ordo ac ſucceſſio, ubi vel ſolvitur vel in exitum tendit malum; non negligit quoque attendere medicamentorum exhibitorum ſucceſſus, & quænam ea inſequutæ fuerunt mutationes; in mortuorum cadaveribus tandem, quæ oculis conſpiciunda ſeſe offerunt, ſtudioſe examinat & adnotat.

Caſus tales plures, vel a ſe ipſo collecti, aut ab aliis conſignati ubi fuerint, comparat eosdem inter ſe; morborum cauſas multum ſæpe inter ſe diſſidentes, per rationem non attingendas, ſedemque affectam detegit; ſymptomata tam communia quam individua & propria colligit; vim qualem habeant in præſagiendo, ſub circumſtantiis & conditionibus variis, inve-

venit; medendi ratio quænam cum fructu instituatur animadvertit; sicque abstrahendo a casibus specialibus quæ ipsis insunt generalia, nota sibi reddit, quæ vera sunt in morbo ejusdem speciei omni.

Neque acquiescit in his solers Medicus. Cognita enim ipsi quæ sunt de structura corporis & partium usu, jungit iis, quæ per observationes experiundo sunt reperta; præbent utraque principia pro ratiocinio novo: deducit hinc causarum naturam & modum agendi; symptomata certa talia quomodo morbo insint, & cur certa quædam prænuncient, explicat; methodum denique medendi tam morbo ipsi quam accidentibus emendat; novam sæpe invenit; præservandi modum docet.

Quandoquidem & plurimum sæpe interest, morbos facie externa inter-

dum eosdem pene, causis tamen, periculo & medicandi ratione quammaxime discrepantes, recte distinguere novisse, ita quoque huic fini inservire observationes facit, dum affectus inter se similes conferendo, characteres sibi comparat singulis proprios. Dolorem nephriticum sic distinguit a dolore rheumatico; hunc a moliminibus hæmorrhoidalibus; Hydropem pectoris a polypo Cordis & ab Asthmate; morbos idiopathicos a sympathicis.

Causæ etiam haud parum inter se differentes, siquidem morbum sæpe eundem inducere valent, signa quæ his dignoscendis sufficiunt, pariter ex observationibus colligit; sint enim causæ illae vel per sectionem cadaveris primum detectae, vel aliunde notae, dum animadvertit curationem, quam indicant diversae, diversam, non potest non quin attentio dirigatur ad cir-

cum-

cumſtantias, quas ſingulae ſibi junctas habere ſolent, differentes, profuturas ipſi in caſu recurrente ſimili. Accedit quod cauſæ ſi ſemel fuerint compertae, ex natura earum, ratiocinii tam mechanici quam experientiae ſuperſtructi ope, ſymptomata & accidentia ſingulas neceſſario comitantia vel antegreſſa, adeoque pro ſignis totidem inſervitura, colligere atque deducere poſſit, quae comparando deinceps cum caſibus datis, experientiae an ſint conſentanea, examinat. Taceo quod ratiocinando quoque determinare queat propius ſigna morbi alicujus, quae dicuntur pathognomica, & diſcernere haec ab iis quae non ſunt niſi communia, vel & non conſtantia; id quod vel evidenter conſtat ex ſolo Ventriculi Cancro, qui dum ſuperius occupat orificium, vel fundum, aut pyloro inhaeret, di-

versis necessario stipatur quidem molestiis, ob diversos quos adficit Nervorum plexus, & partes vicinas varias, manent tamen Cancri, qua talis, symptomata eadem, est ad haec sola attentus qui reliqua ex sedis diversitate orta mutabilia intelligit.

Quod attinet medicamentorum vires siluisse nefas ducerem, quod, prouti harum bene multas acceptas referre debemus experientiæ solæ, ope hujus etiam intra limites redigantur eædem, vel extendantur interdum, conditionesque determinentur exacte sub quibus conveniant, sub quibus noceant. Peruvianus cortex asserti veritatem manifeste loquitur: reformidarunt vim hujus antifebrilem distinctione facta nulla multi olim, verentes ne Icterum induceret, vel Hydropem, aut mala alia; fugat nunc Icterum eundem, sanatque Hydropem cortex idem,

li-

licet non promiſcue, ideoque nec adhuc omnibus ſine diſcrimine exhibendus; unde autem diſſenſus ille? lis fuit, usque dum obſervationes exſtarent ſat multæ, fideles & accuratæ, quibus componeretur, rectusque patesceret ac ſecurus hujus medicaminis uſus.

Ratio experientiæ innixa, quæ hæc circa definit, non parvi quoque ſunt in plerisque momenti A. A. experientia tamen ipſa iterum probanda prius, antequam pro exploratis habeantur; poſcunt ſaltem id prudentiæ leges. Teſtantur id veſicantia ex Cantharidibus in Febribus acutis ad provocandam criſin applicata; demonſtrant idem illud Purgantia medicamina exhibita in Febre Variolis ſuperveniente ſecundaria, commendavit horum uſum & ratio & ſucceſſus frequens, deterruerunt ab eo ignaros eventus

aliquot non proſperi, limites poſuit, conditiones determinavit cum experientia ratio eadem, & utimur nunc iis nonniſi inſigni cum fructu.

Multa ſunt præter hæc ex obſervatis tanquam datis cognitis, quæ ratiocinando elici queunt in praxi utiliſſima. „ Calculoſas Bilis concretiones, „ affectionesque in ſuis organis, tym-„ paniticas eſſe vidit aliquoties *Bagli-„ vius.* „ Vidi ſemel Ego. „ Quibus „ tormina & circa umbilicum dolores „ fortes ſunt, remediis non cedentes, „ in Hydropem ſiccum deſinere, ad-„ notavit *Hippocrates*; „ exemplo confirmavit idem *Baglivius.* Quodſi jam meminerim dolores umbilicum circa pertinaces naſci non raro ex humore aliquo acri & rodente, non quidem in Inteſtinorum cavitate, ſed eorum in tunicis reſidente, fibrasque ad contractiones ſpasmodicas proritante; cogi-

gitaverim pariter diſtendendo partes nervoſas valde ſenſibiles ſicque irritando, produci a calculis felleis ſpasmos non minus terribiles; inducere hos debilitatem Inteſtinis vix emendabilem; non inepte credo a me concludetur, cauſam adfectionum tympaniticarum in adfectu utroque eſſe eandem, Spasmos puta, & hinc natam debilitatem; conſequi imo poſſe tympanitica mala morbos plures diverſos, infringant modo robur fibrarum inteſtinalium. En obſervationem unam illuſtratam per alteram, cauſam ſymptomatis detectam, & commune quid redditum affectibus pluribus, quod obſervatum non erat niſi in ſpecialibus binis.

Plura inquam iſtiusmodi tanquam corollaria ex obſervationibus ratiocinando deduci poſſunt, ad diagnoſin, prognoſin, & curam morborum egregie facientia; ſemel modo dixiſſe

ſufficiat, quod experientiæ nunquam non debeant ſubjici, & per hanc confirmari, priusquam veritatibus annumerentur indubiis, ac praxi dent regulas inviolabiles.

Conſtitit vobis luculenter, ni fallor A. A. quod & quomodo omne id quod ad certitudinem artis deficiebat omnimodam, ſupplere liceat per obſervationes; dubitare ergo posſetis modo, an numerus earundem nobis jam proſtet ſufficiens? ad quæſtionem respondere coactus, adſero quidem, quod obſervationes ſint ſat numeroſæ, ſimul tamen diffiteri nequeo plures earum exſtare mutilas adeo & mancas, ut ſolidum ex iis judicium ferri poſſit fere nullum. Ratio in aprico eſt; accommodant nimirum ad ſuas, quas fovent particulares hypotheſes, multi morborum quas conſcribunt hiſtorias, prodeunt ideo hæ in-

com-

completæ, orbatæ circumſtantiis interdum maxime neceſſariis; accedit quod circumſtantiæ eædem ſint ſæpe adeo numeroſæ, in ægrotis fere ſingulis diverſæ, ut negligantur ſæpenumero plures, quæ ad rem non facere videntur, quum tamen adpareat poſtea, omitti eas debuiſſe nullo modo; idque imprimis contingit, ſi quando a priori divinari ſaltem non queat earum utilitas, aut prævideri quomodo ad morbum ſe habeant. Exemplum nobis ſuppeditant manifeſtiſſimum obſervationes circa pulſus criticos noviſſime a perſpicaciſſimo *Solano* Medico *Hispano* conſignatæ, & a doctiſſimo *Nihell* Medico *Anglo* nobiſcum communicatæ. Taceo malum maximum aliud, ſcilicet, quod contineant obſervationes quamplurima litteris exprimenda ægre, & vix intelligenda niſi quis ea intueatur præſens; ægrotantium habi-

 tus,

tus, dolorum varias ſpecies, excretiones quoad formam, contenta, colorem, quis quæſo verbis diſtincte ſatis deſcribet?

Sunt hæc in arte incommoda A. H. quæ progreſſui illius maximopere obſtant; licet tamen iis mederi methodò hac facili & tuta: evolvat Medicus quoscunque qui caſus memorabiles hiſtoriasque morborum cum judicio conſignaverunt Auctores; redigat in tabulas, quæ de affectu quolibet reperit notata; digerat hæc ita ut locis ſuis compareant ſingulis, ad cauſas quæ pertinent, ad diverſas has quæ comitantur accidentia, morbo quæ circa principium, ſtatum, finem, nec non circa tempora intermedia adſunt ſymptomata, ex his quæ fiunt prædictiones, ad curationis methodum tandem quæ referuntur, & ſpectant ad ſelectum medicamentorum, horumque vires

ſpe-

ſpeciales & conditionales; fiet ſic ut obtutu uno ſiſtantur ipſi, quæ inſunt morbis tam generalia, quam ſpecialia; quibus attenta mente perluſtrandis dum incumbit, ſi ratiocinari noverit deteget, certus ſum, nondum cognita plura; hæc pariter locis ſuis inſerat; quæcunque tandem ſunt omnia familiaria ſibi reddat, & habebit quæ attentionem in caſu quocunque obvio dirigant; ſi quæ fallacia deprehenderit inter obſervata, quod forte depromta ſint non ex integris morborum hiſtoriis, ſed ex earum fragmentis tantum, ea conferat cum iis, quæ in ægris ipſe animadvertit; hæc repetat pluries, & nullus dubito quin habita ratione circumſtantiarum omnium & ſingularum accurata, ex multiplici obſervatione ad propoſitiones reducat legitime determinatas tandem, fallentes nunquam, quas vagas poſſidemus hucusque uſui

non ut oportet accommodatas. Agenda hæc incumbunt omni Medico qui artis culturæ rationali, cum ſucceſſus ſpe indubia vacare cupit; moleſtias creat, fateor, prolixitas operis, quodſi vero ſtrenue rem peregerit, non perfunctorie, laboris præmium reportabit certitudinem auream.

Superſedere quidem poſſent huic operæ Poſteri, ſi liberalitate regia, vel ſummi Imperantis alterius munificentia viri conſtituerentur plures, omnium famigeratiſſimi & in exercitio artis peritiſſimi, qui viribus junctis, tempore brevi, non proprium ſolummodo ſed & aliorum in commodum, perficerent id cui vix ſufficit unus vel alter ſolus; aſt, quod acerbe dolemus, optandum hoc magis eſt quam ſperandum.

Superſunt commemoranda adhuc A. O. O. H. tam cognitionem morbo-

borum, quam curam eorundem concernentia quædam, pauca licet, ob ufum quem habent infignem, tamen non prætereunda.

Primum eft, quod præter differentias, quæ obtinent inter morbos, alias, occurrat & notabilis hæcce, ut fervent nonnulli typum aliquem regularem, decurfum habeant breviorem, & ideo obfervabiles ac nominibus infigniti fint; exiftant irregulares alii, modo his modo illis tantum fymptomatibus fefe prodentes, inconftantes, per obfervationes itaque non facile ad regulas revocandi. Præter morbos acutos omnes, funt ex chronicis quoque Podagra, Hydrops, Phtyfis, Malum hypochondriacum ac hyftericum, qui typo gaudent evidenti & decurfu nonnifi certa ratione variabili; defcripfit ideoque affectus hosce atque illuftravit egregie, memoriæ

 pro-

prodidit fere nihil de aliis, Medicus inter Anglos præstantissimus *Sydenhamius*, propria tantum experientia edoctus, vix usus aliena.

Alterum est, quod destituta sit Medicina medicamentis pluribus, & specificis per eminentiam sic dictis, & talibus quæ exserendo certos in corpore nostro effectus, morbos quidem non sanant directe, ad curationem autem contribuunt mediate, dum Indicationibus Medici singularibus satisfaciunt. Carent Variolæ, Morbilli, epidemica mala reliqua fere omnia; caret Hydrophobia specifico, miasmatis indoli noxiæ directe opposito; caremus remediis quoque specifice corrigentibus naturam pravam humorum, qui arthriticos creant dolores, Plicam polonicam, Scabiem ac Lepram faciunt: Et postulet morbus, ut restituantur in integrum evacuatio-

nes

nes consuetæ suppressæ, Narium stillicidia, Purgationes menstruæ, Hæmorrhoides, præstare sane id vix possumus, non prostant saltem medicamina operandi ratione immediata tale quid efficientia, æque certe ac cient urinam sanguineam Cantharides, & alvum suo onere liberant, quæ purgantium ac emeticorum nomine veniunt: in motu solidorum anomalias multarum specierum opio, cortice peruviano & succis ferulaceis foetidis corrigimus, sed Spasmos febriles acutorum compescere vel solari, non sublato simul stimulo, quod possit nihil adhuc inventum est; deteget forte multa tempus ut detegit quotidie nova; verum quid interim? En artificium, quod incomparabilem certe in praxi habet usum.

Morbos profligari diversos, remedio saepe eodem, res est adeo nota,

quam quae eſt notiſſima; ratio quaenam? quod curent medicamina multa morborum ſpecies, dum curant genus: contineantur ergo ſub genere eodem ſpecies complures, medela erit hisce eadem, niſi adſint fortaſſe, ut fieri poteſt, determinationes ſpecificae vel ſingulares aliae, contrariae. quid igitur? Sanandae Medico offerantur adfectiones morboſae, difficultatis id habentes, quod vel parum de illis per obſervationes hactenus conſtet, vel quod deficiant remedia vitiis ſpecialibus, quatenus talia ſunt, emendandis accommodata; videbit, qualenam ſit genus proximum, ad quod commode referri queant; hoc ſi detexerit, examinabit num adſint, quæ curæ generali obſtent, ſi non, adhibebit eandem, & curabit adfectiones ratione alia nulla ſanabiles.

Si vero unquam, certe hisce in caſi-

ſibus, judicio opus eſt atque ingenio, eſt nempe ſola ſimilitudo in ſpeciebus obvia, quæ facit ut redigantur in genera, verum mehercle! ſimilitudinem talem intueri unicuique non datur; etenim non ſemper in oculos incurrit, ſed eſt adeo abſcondita ſæpe, ut lynceis oculis ad eam pervidendam opus ſit; eſt præterea ſimilitudo varia in ſpeciebus iisdem, utque variant ſimilitudines ſic variant genera; poſſunt quippe ſimiles inter ſe eſſe morbi ratione cauſæ, ratione ſedis, ratione ſymptomatum phænomenorumque reliquorum ſimul comparentium; verum enim vero conducit ad curationem non omnis ſimilitudo, ſed convenit modo hæc modo illa; ad eandem bene dijudicandam autem quantum requiratur, norunt optime ii, qui in ipſo operis exercitio præclare verſantur. Aſt juvat hæc paucis il-

luſtrare exemplis. Argentum vivum, quod tanquam venenum abhorruerunt Medici *Græci*, ab *Arabibus* primum inter medicamenta relatum, adhibetur ab iisdem ad ſanandas Scabies, Herpetes, Impetigines, Pſoras, adfectionesque foedas cutis alias plures; poſtea circa finem ſeculi decimi quinti per Europam diſſeminatur morbus novus, antea plane ignotus, ſub nomine Luis venereæ hodie veniens; aggrediuntur hunc Medici absque ſucceſſu pcr uſitata ipſis remedia univerſalia, evacuantia, digerentia, revellentia, balnea; obſervant mox acutiores quidam, habere Luem veneream inter ſymptomata ſua reliqua, id imprimis quoque, ut cutem deturpet puſtulis, & ulcerationes ipſi inducat rebelles; eatenus igitur ſimiles inter ſe eſſe & referri poſſe ad unum genus, morbum ignotum & morbos chro-

chronicos cutaneos illos, quibus ſecundum *Arabum* methodum per Argentum vivum medebantur feliciter, ſtatim concludunt; tentatur eam ob rationem curatio etiam ſimilis per Hydrargyrum in Lue venerea; promovent eam inter alios inprimis *Johannes Berengarius* & *Johannes de Vigo*; reperitur utilis quoque a Medicis poſteriorum temporum, emendataque ab iisdem adhuc hodie inter nos in uſu eſt. Fiunt hæc licet ignoretur Mercurii operandi ratio; hæc poſtea invenitur maxima ex parte mechanica, ſic ut gravitate ſpecifica inſigni præditus ſanguinem attenuet, reſolvat, obſtructiones reſeret; hinc mirum quantum amplificatur illius uſus; ſanat quippe nunc contumaces quoque glandularum multarum tumores, cæcitatem ab obſtructione arterioſorum vasculorum circa Retinam & Nervum opticum

prognatam, morbosque alios quamplurimos, præcedentibus in eo similes rursus, quod pro causa agnoscant obstructionem similem vasorum minimorum, & præcipue lymphaticorum. En medicamentum ex Mercurio factum polychrestum per solam analogiam. Sed profero exempla plura. Ad duplex morborum genus possunt referri Variolæ; ad morbos cutaneos quatenus cutem exulcerant; ad morbos inflammatorios, quatenus febre acuta inflammatoria stipatæ incedunt: ratione similitudinis prioris, multi in iisdem quoque usus credita fuerunt mercurialia; ratione similitudinis alterius, non dubitavit curationem summe antiphlogisticam iis adhibere magnus *Boerhavius:* modum medicandi utrumque comprobavit experientia. Sisti gangrænam auxiliis chirurgicis aliis nullis compescendam cortice peruviano

no aſſumto, invenit primum caſu ante aliquot annos Chirurgus *Anglus*; quoniam neſcitur ratio, dubitatur diu quibusnam morbis aliis pluribus accommodari poſſit uſus ejus; ſtudent Medici ſolertes ut reperiant ſimilitudinem; & en eam nuperrime inventam! ſcilicet, inhibet cortex peruvianus non ſolum Gangrænæ progreſſum, verum, ſi pars mortua a vivo abſcedere debet, facit etiam bonum generari pus; ut norunt nunc Chirurgi omnes conſolidari facile ulcera alia etiam, puris quod largiuntur conditio modo bona ſit, conſolidari nequaquam ea, ex quibus ichor tantum prodit vel ſanies; ita deprehenditur ſtatim commune aliquid, quod habent inter ſe Gangræna indomabilis & Ulcera cacoetha; ad hæc ergo ſananda, corticem dictum ſimiliter adhibent, reſpondetque ſucceſſus, dum tempore brevi

pus adparet laudabile, remediis aliis vix obtinendum, mundaque reddita vulnera cicatrice clauduntur. Nituntur fundamento eodem, quæ de uſu ejusdem corticis inſigni, in vulneribus poſt amputationes artuum relictis, & a ſclopetorum, tormentorumque bellicorum globis, omnia mire contundentibus ac dilacerantibus, inductis, Sanguinem ac ſaniem putrem fundentibus, Febre etiam putrida non raro ſtipatis, atque hinc valde periculoſis, cum orbe litterato communicavit experientiſſimus *Ranby*; quid? quod etiam Cl. *a Swieten*, ob eandem rationem, celebris noſtri corticis effectus valde ſalubres in ipſo exulcerato Cancro, horrendo illo malo, expertus fuerit. Sed nec hic Analogia terminatur. Etenim graſſantur interdum Variolæ admodum malignæ ac peremtrices; mortis inſtantis ſignum certiſſimum

mum in hisce præbent maculæ pustulis intersperſæ purpureæ; purpureus hic macularum color, producitur a diſſolutione putrida humorum nimia, & hinc orta Gangræna; non poteſt igitur non, quin nascatur intelligenti ſtatim ſuspicio, exhiberi quoque posſe hoc in morbo peruvianum corticem, & præcaveri illius virtute periculum quod vitæ ægrotantium imminet maximum; datur proin etiam, & mehercle! ſervantur miſeri, qui ſine ope hac libitinam haud effugiſſent. Tot itaque diverſorum morborum auxilium poſitum eſt in medicamento uno eodemque, quam felicitatem tamen ſolæ debemus ſimilitudini. Et certe, ſcrutentur hanc ulterius Medici, nec poenitebit laborum, imprimis ſi conentur detegere quidnam ſit illud commune in adfectionibus ſi febriles motus ipſis adnumerentur, adeo mul-

tis diverſis, quod unus Cortex corrigit; hoc quippe invento clare patet, quod poſſimus remedium idem ad profligan-da mala adhuc multa alia adhibere, plane ut utimur aromaticis in genere ſic dictis ad morbos infinitos, inter ſe invicem licet valde differentes, ideo ſolummodo, quod ſciamus ſtimulando illa agere, ſtimulumque morbos illos omnes poſcere.

Verum non longius proſequar argumentum hoc, indicabo potius artificium adhuc aliud, quod etiamſi curationi ſæpe non directe inſervit, multi tamen uſus eſt in caſibus omnibus illis, ubi dubius animi eſt Medicus, qualemnam cauſam ſingularem ex pluribus ad ingenerandum unum eundemque morbum poſſibilibus, in caſu quodam dato ſpeciali accuſare, tollendamque ſibi ſumere debeat; occurrere enim affectus tales, ſu-

pra jam ſatis ſuperque a me oſtenſum eſt.

Artificium hoc in capiendis experimentis conſiſtit. Experimenta autem volo, non tumultuaria, uti vulgo ab ignaris Empiricis inſtituuntur, ſed a ratione dictata; non periculoſa quoque, qualia in anima vili facere nos aliquando falſo incuſant, ſed ſecura & tuta, vitæque aut ſanitati non inimica. Inſtitui hæc queunt autem, quoties occurrit affectus quidam, qui ex. gr. per quinque cauſas diverſas, aut per rationem aut per experientiam cognitas produci poteſt; cauſa ſingularis in caſu obvio per ſigna comitantia ſe non prodit quidem, per circumſtantias varias interim eo usque pervenire licet, ut ex numero cauſarum tres ſaltem extra culpam cenſeantur; remanentibus enim ſic duabus tantummodo dubiis, quidnam impedit quæſo, medicamen-

tum aliquod tutum & causæ uni cuidam expugnandæ par si prostet, quo minus porrigatur, judiceturque ex effectu subsecuto vel bono vel nullo, an causam ex duabus illis incertis veram adsequuti fuerimus? Nihil sane hoc in casu peragit Medicus, in quo non imitetur & Physicum, dum in causas veras phænomenorum naturalium inquirit, & Practicos celebres, quando in lædentibus & juvantibus morborum signa quærunt. Nec debet experimenti nomen in Medicorum ore odiosum esse ideo, quod in corpore humano fiat, differunt enim maximopere experimenta medica a physicis, conveniunt nonnisi nomine & usu. Clara reddet dicta exemplum unum vel alterum. Cæcitas, Surditas, Aphonia, Dysuria, adfectus sunt, quorum unusquisque a causis quampluribus & a se invicem valde diversis exci-

citari poteſt; inter cauſas has vermes in Inteſtinis latentes exſtitiſſe interdum obſervatum eſt; jam vero vocatur Medicus ad ægrotum, affectu quodam ex recenſitis laborantem; invenit cauſam evidentem nullam, cogitat quidem de vermibus, verum nec hi ſignum aliud præſentiæ ſuæ dant; gnarus interim eſt ſymptomata anomala plura viſa fuiſſe quandoque & ſanata ſubito, curatione ad ſolos vermes, nullis licet aliis etiam ſignis ſe manifeſtantes, directa; experiri ergo vult, an iidem illi in caſu dato in cauſa ſint; exhibet proin medicamentum helminthicum innoxium quoddam; videt prodire vermes; proſequitur curam & ſanat malum, cujus cauſam per experimentum detexit. Vocor ante annos aliquot ad virum nobilem querentem de dolore ſæviſſimo, obſidente oculum ſiniſtrum & partes externas vici-

 nas;

nas; dolor hic excruciabat ægrum, cetera ut videbatur ſanum, quotidie per paucas horas duntaxat, remittebat dein, redibatque ſtatis temporibus; Medicus qui aderat alius arthritidem ſubeſſe exiſtimans, præſcripſerat multa inutiliter; ſubit mihi ſtatim memoriam, dolores partium quarundam periodicos, habere ſe interdum Febrium intermittentium inſtar, & curari ſolo cortice peruviano; moneo de hoc Medicum; inquit Febris ſignum nec in pulſu nec in urina nullum adeſſe; reſpondeo absque noxa propinari tamen poſſe corticem & tentari hac ratione curam, quodſi enim effectus non reſpondeat, id nihilominus emolumenti exinde percepturos nos eſſe, ut certiores reddamur de cauſa morbi latente alia; annuit ille tandem; tractamus ægrotum ac ſi Febre laboraret vera, gratulamurque il-

illi poſt nychthemerum de ſanitate prorſus in integrum reſtituta.

En nunc A. A. quam firmis innitatur fundamentis *Certitudo medicæ praxeos*, quam probandam ſuſcepi. Adſtrui eam poſſe nulla ratione melius credidi, quam ſi oſtenderem media quibus comparari queat; indicarem quid ſingula conferant; curioſus eſſem in eo imprimis, ut clare monſtrarem quænam Theoriæ ſolæ, quænam ſolis obſervationibus accepta ferre debeamus; etenim vix ulla in re eſt major confuſio, adeo ut unus dum laudat tantummodo theoreticum Medicum, probet alter duntaxat uſu edoctum, neceſſarium judicet quidem tertius rationis & experientiæ connubium, veritatem hujus tamen in exemplis tantum oſtendat, qualisnam vero ſit utriusque ſymbola nequaquam diſtincte explicet. Vos ipſi jam eſtote judices, an partes

meas in ea quam profiteor arte recte tuitus fuerim; infinitos ſaltem eſſe morbos, quos cum certitudine inſigni tractare liceat Medico, nulli ut credo dubitatis amplius; exiſtere forte poterunt quidam, in quibus non æque felices nobis eſſe datur, verum an ulla pars Phyſicæ in omnibus certa? an phænomena Naturæ omnia explicabilia dixit Philoſophus ullus? Profecto! habent Scientiæ ſingulæ ſuos limites, quos arctiores non eſſe in Medicina quam in arte alia quacunque ſi quis modo admittat, contentus ſum, & incommodis adnumero, quod curam quoque ſuſcipere cogamur aliquando ægrotantium eorum, quorum in morbis clari parum nos pervidere, ſponte ipſi confiteremur, *eſt* autem *adeo blanda ſperandi pro ſe cuique dulcedo.*

Cæterum & hoc notetis velim A. A.

Me-

Medicinam me certam, non Medicos omnes in artis ſuæ exercitio certos pronunciaſſe; ſufficit mihi demonſtraſſe, quod tales eſſe queant, cum interim vobiscum doleam ignorantiam multorum. Non poteſt non, fateor, quin animos veſtros ſolicitos habeat judicium hocce, avidosque vos reddat ſcire, quanam igitur ex nota dignoscere bonum Medicum liceat cui capitis curam tuto concredere poſſitis, quandoquidem ſecundum *Plinium periculum in nullo mendacio majus*, & ſi aliæ peccant artes tolerabile ſit, Medicina vero, niſi habeatur perfecta, plena exiſtat periculi. Annon confidere licet ſecure illis, dicetis quidem, qui in numeroſa praxi & conſenuerunt, & ſuffragia cuncta habuerunt? reſpondeo autem, quod fidere illis queamus non ſemper, inſitque vis minima argumento huic, ubi de medica arte

ſermo eſt, cum valeat hic iterum *Plinianum* illud, *quod in hac ſola eveniat, ut cuicunque medicum ſe profeſſo ſtatim credatur*; quid præterea non poſſunt ad conciliandam famam amicorum blandæ conſpirationes, ab aniculis quæ proficiſcuntur laudes? apud Matronas quantum non valet ſermonis affabilitas, læta feſtivitas, obſequioſa in præſcribendis remediis, probandisque opinionibus facilitas, viſitatio ſedula & ſolicita? quantopere etiam non præoccupat animos quorundam Medici provectior ætas, vultus morumque gravitas, corporis ſtudioſus cultus, ornatusque modeſtus? æſtimanturne magno quinetiam ex mera opinandi libidine plures, qui opes ſat multas poſſidentes clinicam praxin exercere renuunt, conſiliumque ideo non pretio ſed precibus tantum largiuntur, cum interim bonitas illius in ſola cari-

ta-

tate non raro posita sit? Meliores, ni fallor, characteres ex ipso nostro habito sermone colligere potestis; docui quippe, quibusnam mediis ad certitudinem pervenire detur; calleat ergo hæc aliquis, iisque uti sciat, & merebitur, in quo vobis confidatis. Ut interim *Theoria* apprime necessaria est, ita instructus sit oportet cognitione *Anatomica*, *Physiologica*, *Chemica*, *Physica*, neque ignoret omnino *Mathesin*; ut juvat præterea insigniter *observationum practicarum* notitia, sic sedulum se exhibeat in evolvendis *Medicorum celebriorum scriptis*; ut denique rerum generalium ad casus quammaxime speciales adplicatione multa, nec non *Analogiæ* & *experimentorum* usu convenienti opus est, sic polleat etiam velim *acumine* & *ingenio*, ad pervidendas facili negotio similitudines, distinguendasque res varias ac multas

in morbo quocunque obvias, ſcilicet, ut utatur iisdem tanquam propoſitionibus totidem ad formanda ratiocinia; peritus quinetiam ſit utendi egregio principio *Reductionis* illo, quod a Mathematicis deſumtum, prudenter ad ſuas quoque Scientias tranſtulerunt Philoſophi. Multa ſic exigi a bono Medico, in paucis ſane reperiunda, non nego quidem A. A. aſt malo huic nulla medela; queremini præterea, in characteres datos inquirere non poſſe vos, Anatomiam, Chemiam, cetera haud edoctos, neque novi huic incommodo mederi, niſi forſan, ſecundum proverbium quod ars oſorem non habeat præter ignorantem, pro certo habere velitis, carere homines ſcientia ſaltem ea quam aſpernantur, imprimis cum regulæ hujus adplicationem ad Medicos etiam, haud facile fallere teſtentur ſuis exemplis quæ exſti-

ſtiterunt inter veteres, & exiſtunt adhuc hodie inter recentiores integræ ſectæ.

Finem ſermoni lubens hic imponerem A. H. qui prolixus nimis aures veſtras jam ſatis laſſavi, niſi promiſſis ſtandum, & explicandum mihi ſupereſſet adhuc, qui fiat ut curationes optimæ etiam ſucceſſum ſortiantur tamen non ſemper ſperatum, & deſtituat ſæpe Medicum medicamentorum licet convenienter datorum effectus, ſint quinimo morbi quidam abſolute lethales. Rationes hujus rei, quæ obſcuræ non ſunt, dantur præter alias plures præcipuæ tres. Eſt una, quod in corpore noſtro, contra ac in Horologio machinaque omni alia, ſubſtituere nequeamus partes novas in locum earum, quæ corruptæ ſunt nimis, quam ut vitium contractum emendare ſimpliciter in iisdem læ-

ſis liceat: conſiderate fluida & perpendite ſimul, eſſe hominibus ſingulis propriam ſuam temperiem, propriam ſanitatem, & exiſtere proin humores non penitus eosdem in hominibus omnibus, patebitque vobis ratio, cur Sanguinis ex homine ſano in ægrotum transfuſio, etiamſi poſſibilis per ſe, repudianda tamen ſit merito, & hinc apud Gallos etiam infelicitet tentata fuerit: conſiderate ſolida, contrahunt hæc rigiditatem nimiam per motum quem exercent continuum, rigida ſemel facta cum flexibilibus aliis commutare nemo ſanus ſibi unquam proponet, eſtque ideo mors ſenilis prorſus inevitabilis; mala ex visceribus totis fere obſtructis, per abſceſſus conſumtis, oſſibus carie exeſis nata, integris novis ſuffectis tollere in poteſtate noſtra non eſt; in artubus membrisque aliis res eodem modo ſe habet,

ſu-

ſumusque ſatis felices, ſi ſalva vita carere queamus parte affecta, & per ejus exſtirpationem ſanari. Eſt ratio altera, quod irritabilitas ſive ſenſilitas partium nervearum (ex qua motus morboſos non ſolum, ſed & Medicamentorum plurimorum in ſolida agentium operationem explicamus) cum ſit varia in hominibus variis, a re eadem, quando in ſolidorum actione quid mutat, adficiantur ſæpe non eodem penitus modo ſinguli, id eſt, quod gaudeat unusquisque ſua Idioſyncraſia: Opium hoc docet, quod non ſomnum ac tranquillitatem, ſed anxietates, tremores, deliria quibusdam conciliat; docent idem alia plura; vidi ſic in homine quodam a Rhabarbaro non ſolvi alvum, ſed adſtringi potius cum animi deliquiis; licet itaque remedia proſtent ad morbos multos ſelecta atque ſpecifica, non exſerent tamen effec-

tum ſperatum ubique, ſi in ſolida agere debent; poterunt quinimo edere interdum prorſus contrarium. Eſt ratio tertia denique, eaque primaria quidem, quod notitiam in Medicina practica non habeamus aliam, quam quæ dicitur philoſophica, impoſſibilis prorſus ſit illa, quæ appellatur mathematica. Scilicet poteſt Medicus ex notione morbi cognita, & ex viribus medicamentorum cognitis, rationem reddere, quare curam hoc vel illo modo inſtituat, oſtendere nequit qualisnam ſit magnitudo effectus, qui in ratione ad cauſam morbi, ex doſi medicamenti determinata, neceſſitate vel mechanica vel phyſica, ſequi debet. Etenim caret menſura, qua magnitudinem & cauſæ morbi, & virium medicamentoſarum metiatur. Ponamus igitur offerri Medico ægrotum, cujus malum ſuperat artem, tentabit multa,

pro-

proficiet forte nihil, non ſua culpa tamen, ſed quod ars talia prævidere non permittat: eſt ratio ſimilis cur in prognoſi certi eſſe nequeamus ſemper, poſſimus adfirmare quidem ſymptoma hoc vel illud malum, inſecurum, periculoſum eſſe, raro autem abſolute lethale illud pronunciare audeamus; pugnatur quippe naturam inter & morbum periculoſæ plenum aleæ bellum, qua ſimilitudine eleganti uſi ſunt veteres; utriusque hoſtis quis determinabit accurate adeo vires, ut certus uter victoriam reportaturus ſit, hariolari queat? Erraret interim quicunque ex difficultate hac contra Medinam certam argumentari vellet; etenim eſt illud niſi incommodum artis, quod perfectionem ejus, ut Scientiarum aliarum omnium, limitatam eſſe novo argumento evincit, prætereaque nihil probat.

Abſolvi Auditores quæ dicere conſtitueram.

Te autem, SERENISSIME PRINCEPS, cum fortunato in ampliſſimo hoc conſeſſu præſentem conſpicio, animus ſane præ lætitia geſtit. Te, ut locum primum teneres inter eos quibus cura Academiæ noſtræ demandata eſt, maximo ſtudiorum commodo conſtitutum voluit DEUS. Salutandus, compellandus mihi es, & hoc & alio nomine. Per ſeptennium enim valetudinis Tuæ curam cum geſſerim, acceptiſſimusque Tibi, quod dicere audeo, ſemper fuerim, magnanimæ Tuæ indolis beneficiis inſignibus cumulatum me, nuperrime duntaxat novum hoc oblatum munus ab aula Tua ſejunxit. Muneri huic novo gerendo parem, & Spartæ quæ obtigit exornandæ quod idoneum me judicaverint ILLUSTRES PRO-

VIN-

VINCIÆ PROCERES, Tua potissimum commendatio rursus, bona Tua de meritis meis existimatio fecit. Tacere quinetiam nequeo, quod vel sub ipso discessu, Archiatri titulum mihi benignissime conservando, testatum facere volueris, industriam, fidemque meam esse Tibi probatissimam. Quæ quidem & alia non una cum in memoriam redigo, seduloque recordor, quam expertus sum non semel, generosam Tuam mentem & occupatissimam ad benefaciendum industriam, vota mea dum anticipasti, & largitus es necdum roganti; quam vellem me disertum satis qui conquirere possem verba, quæ devinctissimi & obsequentissimi religionem animi sufficienter declararent, testarenturque. Vim dicendi meam id longe excedere, facile sentio. In laudes Tuas eximias, pectore licet gratissimo, & ore neutiquam

blandiente non erumpam, quod nec omnium harum commemoratio Te juvet, nec pro dignitate ſatis partes has acturus ſim. Multa itaque in Principe Tua perſona magnifica & inuſitata etiamſi agnoſcam atque ſuſpiciam; cuncta nihilo ſecius mirari malo tacitus, quam exiliter, ac præfidenti minusque verecundo conſilio celebrare, atque ſermone incondito meritiſſimis Tuis encomiis aliquid deterere. Quod mihi supereſt proin, ut ſatis eſſe exiſtimes SERENISSIME PRINCEPS, obnixe rogo, ſicubi obſtrictiſſimum Tibi me prædicaverim, in tabulis Tuis perpetuus hæſurus debitor, & dum inter mortales numerabor, magni Tui nominis venerabundus futurus cultor. Obſequar interim non minus Tuo propoſito, & curabo pro virili quod incumbit novum negotium; addet vires, acuetque animum favor Tuus.

Tuus. Jubeat modo Deus nos esse adeo felices, ut Reipublicæ gerendæ, inermibus Musis, sacro huic artibus & virtuti loco, sanus, lætus, felix intersis, præsis diu.

Sed, quod præcipit officii ratio, ad Vos quoque me converto VIRI PERILLUSTRES, Academiæ hujus CURATORES QUATUOR-VIRI. Fuit ea insignis benevolentia Vestra, ut dignum me censueritis, qui in florentissimo hoc Athenæo, Professoris munere fungerer, utque, quod adhuc magis honorificum existimo, in locum Celeberrimi Decessoris *Muysii* sufficerer. Favorem hunc, prolixum hoc Vestrum de me studiisque meis judicium cogitare qui possem, quin animum gratissimum Vobis publice testificer? Nunquam, en dextra fidesque, me capiet eorum oblivio, ut de quibus nullo non tempore æternum Vo-

bis devinctus prædicabo. Annitar præterea, ut provinciam mihi concreditam tuear, & quantum in me eſt ſtudioſæ juventuti, in ſapientiæ hoc & artium liberalium Theatro, proſim. Stimulus erit, quod lætius olim mihi accidet nihil aut glorioſius, quam poſſe gaudere, quod ad formandos Medicos, artis ſuæ peritos, Medicinamque exercentes certam, operam contulerim. Atque ita faciam, VIRI GENEROSISSIMI, ut & Vos conceptæ de mea eruditione & diligentia exiſtimationis aliquando non poeniteat, & exſpectationi Veſtræ fiat ſatis; ſic denique eveniet ut beneficia nova demerear. Quod reliquum eſt, nuncupo vota pro ſalute Veſtra & fortuna.

Et Vos compello CELEBERRIMI PROFESSORES, Eruditiſſimi Viri. En me novum veſtro ordini adſcriptum

tum Collegam, Commilitonem, qui commodis Studioſorum promovendis vobiscum invigilare, Academiæ decus tueri omni niſu conabitur. Faxit Deus ſuscepti operis ſucceſſus prosperos. Verum ut ſociorum ſic & amicorum veſtrorum numerum augere cupio. Conſilio veſtro & auxilio mihi adeſſe, admonere me velitis, ac denique familiariter complecti, erit ſic ſempiterna inter nos gratia, & toto pectore lætabor. Sperare hæc me jubet erectæ indoli juncta & lenitas veſtra & æquitas; me quod attinet, doctrina, ingenio, dotibus aliis ſuperiores, ætate majores Vos ſuſpiciam, venerabor, officiorum quocunque genere obſtringere mihi nunquam non conabor, pacem fidemque colam; nec invita Minerva. Experimentum feci, qui aulicam vitam agens, in gratiam cum nullo redii unquam, nil niſi amicos

numeravi, inimicum, quod multi alii haud facile dixerint, habui neminem; & cur? quod oderim calumniam, invidiam, blanditias, faſtum; exhibuerim me ingenuum, facilem, a partium ſtudio alienum, tranquillitatis amantiſſimum; curaverim negotia propria, alienis me non immiscuerim.

Te interim Cl. DU BOIS, Te inquam nominatim perennitatem amicitiæ illius, quæ jam ab aliquot annis mihi Tecum intercedit, per ſtudiorum noſtrorum communitatem, per communis Academiæ ſalutem, magno ſtudio rogo; ſedulo curabo, do fidem, ut invenias in me nihil, quod diſſuere eam valeat, quodque jure reprehendere poſſis. Liceat mihi etiam, conſilio tuo & doctiſſimis tuis colloquiis porro frui; liceat mihi ad claram lucem penetrantiſſimi tui ingenii confugere, ſi quid abſconditi in mirabili

at-


atque intricatiſſima fabrica corporis noſtri me fugerit; ſi qui partium uſus latuerint me, non niſi ex ſeveris Mechanicæ legibus, occultisſimisque corporum naturalium viribus ratiocinio adhibito accurato & caſto, cognoscendi. Age ita mecum & ædepol non erit Tibi me devinctior alter; qui diu jam ſolidam in Te eruditionem veneratus ſum, judicium acerrimum experientia longa, uſu multo, contra errores munitum admiratus ſum, qui denique fortunatum me & decoratum duxi, cui contigit Tibi adjungi.

Ad Vos tandem mea hæc deſcendit oratio Nobiliſſimi ac bonarum artium Studioſisſimi Juvenes. Vitia *coctionis primæ* non corrigi nec in ſecunda nec in tertia, omnes uno ore clamant Medici. Simile quid in ſtudiis obtinere video; annis enim prioribus quæ ad-

diſci debent Scientiarum principia, ſi quis haud bene ſibi reddiderit perſpecta, deſtitutus iisdem ſemper hallucinabitur, nec licebit ipſi prioris curriculi reſarcire damna. Obſtat ciborum concoctioni bonæ imprimis *nimia Repletio*; etenim ſi id cibi quod per triduum alendo ſufficeret corpori, unica die quis inferciret, certe nauſearet ipſi ſtomachus, debilitareturque potius quam augeretur corpus. Ita quoque cum mente comparatum eſt; notiones diſtinctas, ſæpiusque repetitas tenax memoria retinet, ſed objecta ipſi ceu per nebulam denſa earum caterva mox reſpuitur, vel monſtri formam induit. Rogo itaque Vos & obſecro, Præſtantiſſimi Juvenes, ut quæ vobis nunc ſub incude ſunt pro merito colatis, tractetisque: neque & peregrinantium more circa ſtudia verſari velitis, ſed iisdem inhærere; etenim

nim deteſtantur virgines Muſæ animum in diverſisſima diſtractum: faciatis denique ut non niſi convictos vos dimittant Profeſſores veſtri, adſtructa quæ Scientiis ineſt certitudine. Præſtare id Ego conabor iis, qui operam mihi dantes Medicinam ſolidam curæ cordique habent, modo, moneo hoc & quidem ſerio, ad nos non accedant a cognitione rerum *anatomicarum*, *phyſicarum*, *mathematicarum*, aut penitus imparati, aut earum rerum nimis rudi cognitione inſtructi: velint quoque asſiduos ſe exhibere, ac ruminare ſedulo percepta: quod enim præterea ex uſu eſſe poterit, facilis ſemper ad me patebit aditus.

D I X I.



E R R A T U M.

Pag. 100. *l.* 8. *pro* aucti *lege* acuti.

